MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-16

AUTHOR:

MIEDEL, JULIUS

TITLE:

DE ANACHRONISMO...

PLACE:

PASSAVIAE

DATE:

[1891]

Master Negative #

92-80467-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Miedel, Julius,
De anachronismo, qui est in P. Papinii Statii Thebaide et Achilleide, scripsit Dr. Julius Miedel ... Passaviae, Typis F. W. Keppleri, [1892]
63 p. 22 cm.

"Programma Gymnasii Passaviensis anno 1891/92."

VOLUME OF PAMPHLETS

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92
INITIALS M.D.C
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202

Centimeter



Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De anachronismo,

qui est

in

P. Papinii Statii

Thebaide et Achilleide.

Scripsit

Dr. Julius Miedel.



PROGRAMMA GYMNASII PASSAVIENSIS
anno 1891/92.



Passaviae.
Typis F. W. Keppleri.

Inter omnes constat omnium temporum poetas, inprimis epicos, in componendis carminibus suae ipsorum aetatis res ac status in priora tempora transtulisse. Recentioribus demum temporibus, cum fidei historiae sensus magis sit excultus, id potissimum agitur, ut quodvis opus diligentissime ad historiae fidem conscriptum sit; in theatris praefecti, ut hoc unum afferam, hodie curant, ut personarum, quae in scenam prodeunt, omnibus numeris ad suam quaeque aetatem sit quam maxime accommodata.

Hanc nostram consuetudinem ei, qui historiam accuratius perspexerit, rei natura ita videbitur ferre; at priorum temporum poetae id maxime studentes, ut placerent, nihil aliud agebant quam ut legentibus audientibusve cum imagine cantatarum rerum mores ipsorum proponerent. Quare his multo acceptius erat carmen, quam si priorum vel alienorum populorum ignotos aut contemptos mores coacti fuissent videre.

A multis iam hoc cognitum expressumque verbis est; multi etiam prioribus saeculis inscientes singulos e poetis locos protulerunt, quibus instituta temporibus poetae florentia comprobarent. Sed uberius adhuc ea res explanata non est nisi de duobus poetis latinis, de Vergilii Aeneide a L. Lerschio (de morum in Verg. Aen. habitu, Bonnae 1836) et de Ovidii metamorphosesin (Ebert, der Anachronismus in Ov. Metamorph. Progr. Onold. 1888). Horum uterque a se factam quaestionem eandem de P. Papinio Statio faciendam proponit. Quod consilium secutus ego conaturus sum demonstrare, quatenus Statius in Thebaide et Achilleide sui aevi res atque instituta ad heroicum transtulerit.

Iam Casp. Barthius, egregius ille Statii commentator, etsi in universum non concedit temporis statum a poeta violari, tamen in singulis rebus manifestis id negare non potest, velut ad Ach. I, 422: »Poetica licentia recentiorum temporum res vetustissimis adscribit Papinius«. Quantopere autem hunc virum doctissimum illa dignoscendorum temporum facultas defecerit, intellegas ex primi tomi editionis eius*) titulo, in quo Thebae urbs arcis instar mediae, quam

*) Cygneae, apud Scheibium 1664.

vocamus, aetatis, Eteocles vero et Polynices pugnantes duorum equitum similes depicti sunt. Quae cum ita sint, quis mirabitur, si ille Bernartium, qui more suo Papinium autumat Graecis tribuere Romanas res, dicit ineptire? (Ad Theb. I, 144).

Hanc disputationem meam in duas dividam partes, quarum priore investigabo, quas res suae gentis et aetatis proprias heroum tempori poeta adscripserit. Altera pars brevior anachronismum historicum et geographicum continebit.

Pars prior.

Translationem morum Romanorum in aetatem heroicam ut demonstrem, ordiar a rebus publicis, quas sequentur altero capite res sacrae, tertio militares; quarto denique privatas res tractabo. Ex universa, quae mihi praesto fuit, materia, ego ea potissimum delegebam, quae vere Romana esse cognovi, quamquam penitus comprobo et huc ad Statium relatum volo, quod scribit Lerschius de mor. hab. p. 4: »Neminem fugit permulta primo quidem aspectu Graecorum esse videri, sed Graecis et Romanis esse communia, et plerumque a Graeca vel religione vel vita publica privataque ad Romanos esse deducta, ita ut Vergilius ea nequaquam e Graeco, sed, ut rei natura fert, e Romano hauserit fonte.« Unus enim quisque, qui paullo acrius mentis intendit aciem, videbit statim, poetae, cum instituta tangat, quae et popularibus et peregrinis communia sunt, minime ad externam gentem esse recurrendum, sed patriam necessario consuetudinem suo inhaerere animo. Usque adeo autem Statius in carminibus Romanos imitatus est atque expressit, ut ei confidentes in quibusdam rebus dubiis certo concludere possimus, id quod describit, moris fuisse Romani. Neque fortuito apparebit hoc vel illud quodammodo illapsum esse, sed ratione atque consilio omnia eum intexuisse. Locos plerumque cunctos afferam, quoniam quotiens singula reperiantur scire interest.

I. De rebus publicis.

§ 1. *De regibus.*

Argivorum et Thebanorum reges in Thebaide eisdem muneribus funguntur, quibus reges Romanorum: **summi ducis, sacerdotis,**

iudicis. Adrastus rex Argivorum exercitui praeest et contra eum Eteocles rex Thebas cum copiis defendit. Sacerdotis munus praedicatur in Nemeaeo rege Lycurgo, qui simul Iovis est Nemeaei sacerdos, unde

VI, 178:*) *sceptrique decus cultusque Tonantis*
Inicit ipse rogis. Ibid. 30.

Jurisdictione praeditum regem videmus Eteoclem, qui

II, 386 *iura ferus populo trans legem ac tempora regni*
Jam fratris de parte dabat,

et Oedipum, qui

XI, 721 *quondam opem miseris et iura, potentibus aequus*
Supplicibusque, dabat.

Etiamsi par est apud Homerum regum potestas, tamen **dignitatis regiae insignia** tam varia sunt, ut minime dubitaveris, quin Statio in his non Homeri reges, sed multo recentiores exemplo fuerint. Nam praeter sceptrum Statiani reges, quod nusquam apud illum legitur, **diadema** in capite gestant. Hoc autem, sicut omnia alia regum insignia, post Alexandrum magnum demum Graecorum in usum venisse docet Buchh. homer. Real. II, 1, p. 8.

II, 457: *Captivo moribundus humum diademate pulses.*

Tydeus Eteoclem

VIII, 673 *capitisque superbi*
Insignem fulgore videt. ubi cf. Lact. schol.

Polynices affirmat

IX, 55: *Nec iam . . regnique nocentis*
Periurum diadema peto;

V. et IX, 163; X, 801; XI, 226; 559; XII, 89.

Regina quoque diademate ornata inducitur, unde Argia Adrasto

XI, 160: *regumque verendas*
Obiectare animas, ut lamentabile tantis
Urbibus inducrem capiti decus.

Etiam Junoni, utpote caelitum reginae, hoc decus tribuitur

X, 75: *motaque verendum*
Turbavit diadema coma.

Vide Barthium ad II, 457: Diadema pro corona positum; eius enim usus apud veteres Graeciae reges nullus, coronarum etiam serus. Alludere dicas morem Romanum.

*) Locorum numeri prolati sunt ex Ph. Kohlmanni editione Teubneriana, Lips. 1884. Littera A. apposita significat Achilleidem.

Serv. ad Verg. Aen. XI, 334 et Plin. n. h. VIII, 74 testantur, **togam purpuream,** quae dicebatur trabea, regum Romanorum fuisse vestem. Toga purpurea autem auro distincta imperatores festis diebus induti erant. Utrique eam et in bello ferebant. Inde Polynices

II, 406 *satis ostro dives et auro*
Conspicuus;

Parthenopaeus

IV, 265 *igneus ante omnis auro micat, igneus ostro.*

Hypsipyle de combustione simulata narrat patris Thoantis:

V, 315: *sceptrum super armaque patris*
Inicio et notas regum gestamina vestes.

Archemoro mater vestem confecit

VI, 80 *cultusque insignia regni*
Purpureos sceptrumque.

Admeto pretium fertur

VI, 540 *circumflua limbo*
Pro meritis . . chlamys repetitaque multo
Murice, et Parthenopaeus gerit

IX, 690 *bis Oebalio saturatam murice pallam*
Lucentesque auro tunicas.

Haec est dibapha Tyria, de qua v. Plin. nat. hist. IX, 39, 137. Praeterea v. XI, 400; 434; XII, 314. A. II. 5 (Achilles *punicea nudatus pectora palla*).

Vel Eteoclis XI, 398 *instratus ostro sonipes.*

Aliud est insigne regis **solium,** in quo sollemnibus occasionibus sedebat. Sic Adrastus

I, 526 *fulgebat stratis solioque effultus eburno.* V. II, 162; V. 321; XI, 655 saep.

Est quidem hoc Graecis et Romanis commune; at apud Statium praetorianorum instar circumstat solium **custodia regis**; ita Oedipus sederat

XI, 720 *quondam solio sublimis et armis*
Saeptus. Cf. etiam illos vigiles, qui Antigonam custodiunt, ne moenibus egrediatur (XII, 351). Contra I, 147 sq.

Carnifices duos rex videtur habere

III, 80: *hōs regnī ferrum penes.*

In publico sequuntur regem **comites**: Parthenopaeum Dymas et Hopleus Tydeum X, 349. Maiorem cognoscas numerum comitum regni XI, 257 et 260 (*proxima turba*); Polynices

XI, 396 *uritur alto*
Corde, quod innumeri comites — Eteoclis sc. ad pugnam prodeuntis. Adrastus proficiscens in bellum solum gladio cinctus est, nam

IV, 41 *arma manipli*
Pone ferunt. —

Regis domicilium (regia I, 430; aula I, 388) columnis celsis nixa est II, 67 (contra I, 146).

§ 2. *De populo.*

Populus Romanus seiunctus erat in **patricios** et **plebeios.** Quae distinctio transfertur ad Thebanos

II, 443: *Pudet heu! plebisque patrumque,*

Ad quem vers. Lact: »more Romano locutus est«. Ibid. paulo infra

450: *Nec ipsi . . patres*
Reddere regna sinent. Ubi Barth: »(Pap.) temporibus, ut solet, non penitus accurate habitis«.

Plebs saepius opponitur regi vel duci:

IV, 345 *Cadmi Mavortia plebes;* 763 (?); VI, 714 *nuda de plebe Latonum prosilit Alcidamas;* VI, 623 *cetera plebes* (cursorum praeter Amphiaraum et Idam); VIII, 318; A. 491 (*reges mixta vallati plebe suorum*).

Pro 'populo' posita est plebs X, 669; XI, 111; 276; V, 488 (*impia plebes Lemniadum*); et generaliter pro 'turba' IV, 608; VI, 574; VII, 108; 271; 709; IX, 578.

Adiectivo plebeius contemptim utitur Capaneus indignatus, quod Argivi Amphiaraum vatem consulerent

III, 609: *Unius (heu pudeat!) plebeia ad limina civis*
Pendemus? Item

XII, 60: *At non plebeio fumare Menoecea busto*
Rex genitor Thebaeque sinunt.

II. De rebus sacris.

§ 3. *De diis.*

Maxime perspicua est Romanorum ingenii imitatio, si deos Statianos contemplamur. Prius iam ab aliis confirmatum est, Statium consuetudinis domesticae sensu quodam et affectu ductum non potuisse,

quin numina patria carmini mandaret. Cf. Lersch. de mor. h. p. 65* et Teuffel-Schwabe, Röm. Litt. 321, 3. Singulos deos hic profero.

Bellona, belli dea Romanorum, saepe commemoratur: II, 719; IV, 6 (bellum indicit more fetialium); VII, 73 comes est Martis; VIII, 348; IX, 297; X, 855; XI, 413; XII, 721; A. I, 34.

Ceres Ennaea etsi vetustissima, certe aetati heroum ignota a Romanis proprie colebatur: IV, 124. Ad fabulam intempestivam de raptu Proserpinae filiae v. infra p.

Fama, dea turbida (II, 208) habet quidem, ut Friedr. Die Real. i. d. Il. u. Od. p. 653 notat, quandam similitudinem cum Ossa Homeri, sed et ipsa inprimis Romanis venerabilis erat: IV, 369; VI, 2.

Fortuna et Fata magis commixta sunt cum *Τύχῃ* et *Μοίραις*, quam ut in singulis rebus possint discerni; vocantur et Sorores, Parcae. Contra

Lar solorum Romanorum est familiaris deus, qui domum tutabatur in eaque ad focum collocabatur; ob eam rem saepe eius nomen pro domo ipsa adhibetur: I, 587; II, 439; IV, 57; lares sudantes malum omen IV, 374; VII, 157; 600; 787; VIII, 737; IX, 515; X, 88; XI, 109; XII, 327; A. I, 740; 933.

Lucina a Romanis Juno appellabatur, quoad mulieribus parientibus aderat: III, 159; V, 114; A. I, 674.

Manes sunt animae mortuorum: III, 64, 98. Singulos locos enumerare longum est; satis sit notare saepissime eos inveniri. VIII, 1 et 3 umbrae et Manes distinguuntur. Manes versantur apud inferos sive in Tartaro, cuius introitum Romani sibi fingebant esse ad **lacum Avernum** in Campania; itaque Avernus pro Tartaro ponitur: III, 108; 146; IV, 457; 605; VII, 98; 823; VIII, 34; 193 (felices luci Averni); XI, 12; 588; 645.

Mercurius a poetis, qui post Homerum fuerunt, alis plantaribus et galero (*πετάσῳ*) exornatur; item a Statio I, 304 sq. VII, 39.

Mulciber cognomen est Vulcani: V, 51; VI, 212; VII, 61; X, 101.

Pales proprium Romanorum numen est, cui Palilia celebrabantur. Haec ex silvis caesis dicitur fugisse VI, 104.

Penates familiares dei sunt similes Larum; imagines eorum in penetralibus erant prope ad focum; saepe iam prorsus in notionem domus abierunt: I, 50; 124; 481; 572; 608; 643 (pen. Apollinis); II, 66; 405; III, 385; IV, 210; V, 695; VI, 128; VII, 468; 507 (*patrii dei*); 512; IX, 360; X, 708; XI, 216; 367; 464 (Stygii pen.); XII, 5; 471; 551; A. I, 745; 882;

Penetrale reperias III, 581; V, 313; VII, 602; VIII, 198. IX, 345 (pen. animae); X, 104; 176; XI, 635; A. II, 60 (pen. Cybelae). Idem videtur velle interior aula, in qua sacrificatur II, 226.

Silvanus, deus silvarum et agrorum et gregum, praecipue in Latio colebatur. Cum Pale fugit e silva caesa VI, 104 (*arbiter. umbrae*).

Tellus Romanorum idem fere valet quod *Γαῖα* Graecorum. Illi eam venerabantur, ut Ov. fast. I, 671 praecipit, floribus et frugibus: VIII, 300 sq. Postea 339 pecudes nigrae armentaque ei immolantur.

Paene innatus Romanis est mos abstractas res in deos convertendi. Qualibus deis quantopere abundet hic poeta, ex insequenti conspectu cognoscas.

Ardor, nunquam sobrius IV, 662.
Clementia mitis XII, 482.
Decor, comes Amoris II, 287.
Discordia II, 288; V, 74; VII, 50 (*geminum ferrum tenens*).
Dolor II, 288.
Fides, alma XI, 98.
Fuga, caecis circumfusa tenebris X, 559.
Furor, Martis comes III, 424; IV, 661; V, 74; VII, 52; X, 558; *Furores* IX, 833.
Ignavia, torpens in limine Somni X, 90.
Impetus, amens VII, 47.
Insidiae VII, 50.
Ira, Martis comes III, 424; IV, 661 (Bacchi comes); IX, 833; *Irae* II, 287; VII, 48 (*rubentes*).
Justitia II, 360.
Labor, in requiem vergens X, 102.
Luctus atrox II, 287; III, 126.
Metus, Bacchi comes IV, 662; Martis comes VII, 49.
Minae comitantur Martem VII, 51.
Mors VIII, 376 sqq. *Mortes* VIII, 24.
Natura VIII, 330; X, 88; XI, 466 (*princeps*); XII, 561; 645; A. I, 488.
Nefas caecum, comes Martis VII, 48.
Oblivio pigra, Somni limen servans X, 89.

Odia, aspera V, 73.
Otia comitantur Somnum X, 91.
Pavor armiger, Martem comitatur III, 425; eius species VII, 108 sqq.; 127; X, 559.
Pietas X, 780; XI, 98; *lugens* 458 sqq.
Poena VIII, 25; *Poenae* V, 60; XII, 646.
Quies opaga in limine Somni X, 89.
Silentia, ibidem, X, 91.
Somnia, vaga X, 112.
Somnus cum cornu soporifero II, 145; V, 199; VI, 27; eius domicilium X, 84 sqq.
Sopor, Noctis equos agit, II, 59; X, 156 sqq.; *deus noctivagus* XII, 308.
Vetustas, arcana mundi IV, 32.
Virtus, Bacchi IV, 662; Martis comes VII, 51; 702; X, 632 (diva Jovis comes); 676 (numen); 780; XI, 412.
Voluptas in domo Somni X, 101.

Non minus vero temporum ordo laeditur, cum dei inducuntur, qui ab exteris populis Romam advecti ibique sub imperatoribus ab omnibus tanquam domestici culti sunt; nam sic vicissim aliquid proprie Romanum ad heroicam aetatem transfertur.

Jo a Junone aemula in vaccam mutata in Aegypto priorem formam recuperasse dicebatur atque ideo a Graecis **Isidi deae**, quae et ipsa cornuata fingebatur, exaequata est. V. VI, 254 sqq.

Quamquam autem Isis iam Herodoti temporibus extra Aegyptum colebatur, tamen in Italiam post Sullam demum pervenit. Eius igitur cultum significat Juno maritum increpans

I, 253: *Licet improbus illic*
Custodem Phariae somno letoque iuvencae
Extinguas.

Eadem infr. 264: *Melius rotis Mareotica fumat*
Coptos et aerisoni lugentia flumina Nili.

Coptos Mareotica hic posita est pro Iside Coptica. Lugentia autem flumina dicuntur, quia Isis mysteriis celebrabatur lugens necatum Osiridem maritum; Nilus aerisonus est propter sistrum in eis mysteriis usitatum.

Osiris, cui ut deo solis multa cum Apolline communia sunt, simul cum Persico deo Mithra ab Adrasto adoratur

I, 716: *Adsis, o memor hospitii, Junoniaque arva*
Dexter ames, seu te roseum Titana vocari
Gentis Achaemeniae ritu, seu praestat Osirim
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.

Haec autem orandi ratio ipsa Romanorum mos proprius est, quem Preller, röm. Myth. I, p. 62 praedicat: Diese Gewissenhaftigkeit war auch sonst in dem Gottesdienste der Römer herkömmlich, da bei allen feierlichen Anrufungen eines Gottes zu dem gewöhnlichen Namen hinzugesetzt zu werden pflegte: Quisquis es und Sive quo alio nomine fas est appellare; so wenig glaubte man durch einen einzelnen Namen das ganze Wesen des Gottes umschreiben zu können.

Osiridis anima dicebatur in **Apim** taurum transiisse, qui Memphi futura praedicebat. Quem v. III, 476 sqq.

Huius in particulae fine non possum facere, quin verba insignia Welckeri (kleine Schriften I, p. 399) addam de Statio disserentis: Mag manches einzelne von Griechischen Vorgängern entlehnt sein, es verschwindet gegen die vorherrschende römische Götterpoesie, gegen die grosse Rolle der Tisiphone, des Bacchus, des Mars, und der Bellona und diese vielen langweiligen Götter von dem Geschlechte derer auf den römischen Münzen, Virtus, Fortuna, Ira, Pavor und Furores, Quies, Oblivio und Ignavia und so manches, was durch den in den römischen Malereien der Zeit herrschenden Geist weit mehr als durch das altgriechische Epos Aufklärung erhält.

§ 4. *De templis arisque.*

Cultus deorum fiebat aut in templis aut sub divo isque et precationibus et sacrificiis.

De templorum constructione nihil accuratius possumus cognoscere nisi, poetam aedes auro ornatas, quas Romae videbat, — velut Jovis Capitolini — illi iam antiquitati attribuere. Tydeus spondet

II, 728: *Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo*
Collibus.

Huc refero etiam I, 208, ubi caelesti Iovis domui aurea tecta ascribuntur. Cf. Ov. fast. I, 223. *Pictae fores* reperiuntur X, 52.

Sub divo cum dei colebantur, **arae** exstruebantur. Quarum tria erant genera: Lact. ad IV, 459: Tria sunt in sacrificiis loca, per quae piationem facimus: scrobiculo facto inferis, terrestribus supra terram sacrificamus, caelestibus extructis focis.

Inde IV, 451: *Largo noviens tellure cavata*
Inclinat Bacchi latices.
ib. 456: *Tris Hecatae totidemque satis Acheronte nefasto*
Virginibus iubet esse focos.
ib. 457: *Tibi, rector Averni,*
Quamquam infossus humo superat tamen agger in auras.

Sane ea distinctio aggeris (fortasse idem quod altaria) et foci et arae, quae 459 profundae Cereri erigitur paulo recedit a Lactantio, sed et Servius sibi ipse contradicit haec discrimina explicans. Cf. Barth. ad IV, 457, cuius emendatio Servii cum illo loco consentit.

Saepe etiam arae exstruebantur caespite congesto. Serv. ad Verg. Aen. XII, 116: Romani enim moris fuerat caespitem arae superimponere et ita sacrificare. Cf. Hor. carm. I, 19, 13 et III, 8, 3 (positus carbo in caespite vivo). Inde

II, 246: *Hi caespite nudo . . merentur deos.*
VIII, 298: *Geminas ergo ilicet aras*
Arboribus vivis et adulto caespite texi
Imperat.

Arae in sacrificiis coronabantur, ut Verg. Georg. IV, 276:
X, 604: *Ille coronatos iam dudum amplectitur ignes*
i. e. ignes arae coronatae impositos; cf. silv. III, 3, 23.

Cypressis quoque cingebantur, ut in Verg. Aen. III, 63:
stant Manibus arae
Caeruleis maestae vittis atraque cupresso, ita in Theb.
IV, 460: *frontes atque omne cupressus*
Intexit plorata latus (sc. arae).

A iurantibus ara manu prehenditur, inde A. I, 349 *testibus aris.*

§ 5. *De sacrificiis.*

Graecorum ac Romanorum immolandi ritus multis numeris consentiunt. Utrique enim diis maribus bestias mares mactabant, ut Jovi et Neptuno taurum (XI, 223; A. II, 14), feminis femineas, ut Thetidi iuvencam (A. II, 15); dis superis albas, inferis nigras (IV, 445; VIII, 339). Permulta autem apud Statium proprium Romanorum ritum sapiunt.

Caedem hostiae haruspex facit cum famulis seu victimariis: XI, 231; cf. V. Georg. III, 488.

Caput hostiae vittis vel sertis erat ornatum, itaque
A. II, 15: *Vittata genetrix placata iuvenca est.*
IV, 449: *Tum fera caeruleis intexit cornua sertis.*

Caerulea i. e. furva, atra sunt serta, quia Manibus sacrificatur; Romanum morem cognoscas ex cenotaphio Pisano L. Caesaris: »Bosque et ovis atri infulis caeruleis infulati diis manibus eius mactentur.« Serta apud Homerum nusquam legimus.

Tum victima aris admovetur ibique consecratur, cum aliquot crines de capite decerpti in ignem iniciuntur et capiti mola salsa inspergitur. Si hic resistit sive effugit, malum id habebatur omen et sacrum irritum factum princeps sacri iubebat instaurari.

XI, 229: *Taurus et obstantum mediis e coetibus exit.*
ib. 232: *Ipse instaurari sacrum male fortis agique*
Imperat. Ad hunc v. Lact: Erat enim consuetudinis, ut si prima sacrificia minime fuissent accepta numinibus, secunda aruspex repararet.

Deinde victima caeditur. Hostiarum superis dis sacratarum capita a ministris reflectebantur, quae autem inferis mactantur, earum caput ad terram depressum et culter ab inferiore parte iugulo adactus est. Cuncta haec continentur

IV, 461: *Iamque ardua ferro*
Signati capita et frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges.

Postea sanguis patera excipitur et exta exempta porriciuntur sive redduntur; quae vocabula explicantur a Varr. r. r. I, 29: Sic exta deis cum dabant porricere dicebant, et a Servio ad V. Georg. II, 194: Reddi dicebantur exta, cum probata et elixa arae superimponebantur. Unde

IV, 463: *Tunc innuba Manto*
Exceptum pateris praelibat sanguinem et omnes
Ter circum acta pyras sancti de more parentis
Semineces fibras et adhuc spirantia reddit
Viscera.

Postremo **exta comburebantur**, viscera edebantur. Hunc morem proprie Romanum — apud Homerum enim πίονα μηρία concremantur — reperias ter:

I, 507: *lustraliaque exta*
Lacte novo perfusus edet Vulcanius ignis.

Inde apparet lac novum i. e. statim mulctum (Serv. ad Aen. V, 77) igni vel arae adspersum esse; cf. II, 84. — II, 246 et IV, 467.

Cic. de nat. d. III, 20 dicit: Nostri duces mare ingredientes immolare fluctibus consueverunt; et Liv. XXIX, 27, 5: Secundum

eas preces cruda exta victimae, uti mos est, in mare porricit. Has duas consuetudines v. A. II, 12, ubi de Achille navigaturo dicitur:

Tunc ex more deis (ita namque monebat Ulixes)
Aequoribus Austrisque litat;

et ib. 16: *Hic spumante salo iaciens tumida exta profatur.*

Aliud genus sacrorum sunt incruenta; quae constabant ex epulis, libis, adore, floribus (ut Telluris VIII, 300), libationibus. Nondum Homero cognitum libamen est **tus** Hoc circiter sescentesimum a. Chr. n. annum in Graeciam pervenisse docet Schöm. gr. Altt. II, p. 231.

I, 263: [Ara] *cumulo cur turis Eoi*
Laeta calet?

Ture saepe ignis reficitur:

I, 555: *Largoque refecti*
Ture vaporatis lucent altaribus ignes.

Hunc anachronismum praeterea offendimus II, 248; IV, 412; VI, 355; XI, 222; 236; XII, 487; A. I, 520.

Turi alia quoque odoramenta et condimenta *'Arabum strues'* adduntur

VI, 60: *Eoas . . opes incanaque glebis*
Tura et ab antiquo durantia cinnama Belo.

Cf. Ov. fast. I, 339 sqq.

Manibus autem Romani libabant lacte, vino, sanguine (v. Gossr. ad V. Aen. III, 66) sive lacte, melle, oleo (cenotaph. Pis: Singulae urnae lactis mellis olei fundantur.) Haec Statius commiscuisse videtur

IV, 452: *Inclinat Bacchi latices et munera verni*
Lactis et Actaeos imbres suadumque cruorem

et VI, 195: *Strident ardentia mella,*
Spumantesque mero paterae verguntur et atri
Sanguinis et rapti gratissima cymbia lactis.

Aliter apud Homerum, Od. XI, 16:

Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὴν χεόμην πᾶσιν νεκύεσσιν,
Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,
Τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι· ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.

Et ea libamina laeva manu praebentur (Sen. Oed. 579).

IV, 502: *Laevaque convulsae dedimus carchesia terrae.*

§ 6. *De lustrationibus.*

Cum culpa aliqua ratio, quam aut respublica aut privatus homo habebat cum deis, turbata erat, eos oportebat ex ritu Romano restitutionem in integrum efficere. Quod fiebat per lustrationem.

Veluti Polynices spondet XI, 706 sq. ipsum sese necantem culpam suam esse expiaturum, si dei victoriam sibi dedissent.

A lustratione populi Romani quinto quoque anno habita quinque annorum spatium **lustrum** appellatum est. Hoc transfertur ad Olympia IV, 321. Cf. lustralis X, 793.

Cum prodigia nuntiata erant, causam sacerdotes irae divinae conabantur investigare atque tollere. Ubi Eteocles copia prodigiorum territus Tiresiam adiit, ex quo causam eorum compereret, ille deorum refert voluntatem nulla re tam penitus posse indagari quam evocatione Manium. Antea autem regem, quem suspicio est ipsum in culpa esse propter insidias in Tydeum locatas et quia belli auctor erat, necesse est purgari, si sacro interesse vult. Eamobrem Tiresias

IV, 415 *mersum Ismeni subter confinia ponto*
Miscentis parat ante ducem circumqe bidentum
Visceribus laceris et odori sulphuris aura
Graminibusque novis et longo murmure purgat.

In lustrationibus enim adhibebatur ovis, cuius corpus sulphure adurebatur, unde

Ov. fast. IV, 739: Caerulei fiant vivo de sulphure fumi,
Tactaque fumanti sulphure balet ovis.

Ad vocem »circum« notat Barthius: »Obibantur enim lustrandi in circulum, ne qua pars non participaret egregia illa expiamenta.« V. etiam laudatos ab eo locos.

Purgatio ipsa testibus Servio et Pomponio Sabino ad V. Aen. VI, 740 triplicem in modum fit: aut taeda purgantur et sulphure aut aqua abluuntur aut aëre ventilantur. Cf. et Ov. met. VII, 261:

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

Priores has rationes reperias loco supra allato; aqua viva solebat esse, unde *Ismeni subter confinia.* Ad gramina (v. 418) v. Ov. fast. IV, 741: *Ure mares oleas taedamque herbasque Sabinas,* et Delrionem ad Sen. Oed., quem affert Barthius.

Quia etiam somnium quoddam est prodigium, Atalante

IX, 573 *ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas*
Purgatura malum fluvio virente soporem.

Tertii illius purgationis generis vestigium inveniri arbitror III, 486, ubi conatus explicare, unde avium praesaga mens, Amphiaraus dicit:

Seu quia mutatae nostraque ab origine versis
Corporibus subiere notos, seu purior axis
Amotumque nefas e' rarum insistere terris
Vera docent;

quos vv. Serv. l. l. documento purgationis per aera profert.

Oculi cum malo noxioque adspectu commaculantur, purgationis indigent. Ideo Tisiphone, postquam Tydeum *vivo scelerantem sanguine fauces* vidit,

VIII, 765 *non prius astra subit quam mystica lampas et insons*
Elisos multa purgavit lumina lympha.

Non minus mortuorum adspectu visus contaminari putabatur, quamobrem Danai parentium Archemori

VI, 189 *obtentis eminus armis*
Prospectu visus interclusere nefasto.

Postremo liceat morem Romanum commemorare, ut qui in discrimine aliquo esset, numini, si bonum exitum praebuisset, **votum faceret**, donum aliquod se in templo collocaturum aut, si res maior fuit, vel templum aedificaturum. Cf. Liv. X, 12: In ipso discrimine, quo templa diis immortalibus voveri mos erat. Prell. röm. Mythol. I, p. 154. Hoc more Adrastus, quem in deorum numerum relatum esse putat, Archemorum sic adorat:

VII, 100: *Si Boetia ferro*
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris.

Latius explicat Tydeus votum Minervae post pugnam cum quinquaginta illis Thebanis:

II, 726: *At si Parthaonis arvis*
Inferar et reduci pateat mihi Martia Pleuro
Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo
Collibus;

732: *Hic ego maiorum pugnas cultusque tremendos*
Magnanimum effingam regum, cet.

736: *Centum ibi virgineis votae Calydonides aris*
Actaeas tibi rite faces et ab arbore casta
Nectent purpureas niveo discrimine vittas,
Pervigilemque focis ignem longaeva sacerdos
Nutriet, arcanum numquam spretura pudorem.

Nonne hinc virginum Vestalium sacerdotii est cognoscenda significatio? Longaeva sacerdos illa monet virginis Vestalis maximae (vetustissimae Tac. ann. XI, 32); et palladium Romanum — ad cuius cerimonias ista Papinium effinxisse Barth. concedit — nefas erat nudum conspicere, inde ‚arcanum . . . pudorem.‘

§ 7. *De auguriis.*

A u g u r est is sacerdos, qui auspicia habet, qua divinatione Romani non res futuras aperire, sed deos auctores facere alicuius incepti studebant. Inde

III, 491: *Si datur . . signa feras,*
et ib. 495: *Si prohibes, hic necte moras.*

Quae ut rite fiant, Argivi quosdam divinationis peritos in bellum ducunt. Cum Tiresias Thebanus vates semper aut sacerdos appellatur, Amphiaraus et qui in eius locum successit, Thiodamas, a u g u r est (de illo VI, 356:

Tripodum comes et pius artis alumnus
Aetheriae): v. IV, 188 (*fatidicus augur*); VI, 80; 421; 440; VII, 726; 735; VIII, 13; 99; 118; 226; 366; IX, 513; 647; X, 26; 187; 292; 488; XII, 42.

Nomen auguris etiam tutori augurum inditum est:

I, 495: *Augur Apollo;*

tum omnibus, qui vaticinantur: III, 668. Atalante optat

IX, 629: *Simque augur cassa futuri!*

Vel timor est III, 5 augur pessimus.

Munus auguris est a u g u r i u m sive a u s p i c i u m; quod agit, a u g u r a r e: I, 185; II, 111; 302; III, 508; IV, 627; VIII, 88; X, 193; XII, 204. II, 434; VI, 208. III, 648; IV, 592.

Insignia auguris (augurii honos VIII, 88) eadem sunt quae sacerdotis Romani: **infula** et **vittae.** De quibus v. Serv. ad V. Aen. X, 538: ‚Infula fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent: quae plerumque lata est, plerumque tortilis, de albo et cocco.‘ Quia infula erat lanea, Laios simulatus Tiresiae

II, 96: *vellera nota induitur.*
Ib. 98: *Falsa cucurrit*
Infula per crines glaucaeque innexus olivae
Vittarum provenit honos.

Saepe enim ei corona laurea aut olearia iungitur, unde XII, 492 *vittata laurus.**)

Manto quoque sacerdos vittata est VII, 758 et specie eius apparens Virtus, cui sunt

X, 643: *posito ratum gestamina ferro*
Subdita; descendunt vestes torvisque ligatur
*Vitta comis (iam**) laurus erat).*

Virtutis enim simulacrum succinctis vestibus depingi notat Lact; sacerdotibus autem »pedes vestis defluxit ad imos« (ut Veneri, Verg. Aen. I, 404).

Infula — quam poeta crebro cum vitta confundit — caput ita involutum est, ut capilli contineantur; inde

A. I, 522: *Exsiliunt crines rigidisque laborat*
Vitta comis; cf. Prud. in Symm. II, 1085:
Torta vagos ligat infula crines.

Et ipsius vittae materia lana est:

IV, 216: *Vatem cultu Parnasia monstrant*
Vellera. Ib. 492; VIII, 294.

Non recte igitur schol. apud Kohlm. ad IV, 492 (Progr. Posen 1873) vellera pileum i. e. albogalerum flaminis dialis interpretatur.

Denique ad colorem infulae teste Serv. l. l. est de albo et cocco. Hoc invenias II, 738, ubi sacerdotes Palladis

nectent purpureas niveo discrimine vittas.

IV, 218: *Albaque puniceas interplicat infula cristas.*
III, 467: *Evadunt niveis ornati tempora vittis.*
VI, 308: *Concolor est albis et cassis et infula cristis.*

Statius, qui ut poeta Apollini sacerdoti comparandus initio Achilleidos v. 11 de se ipso:

Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis;

ubi Barthius albescere notat a poeta dictum, quod purpureum albo intermixtum colorem voluisset significare.

Abunde, quia quidquid consecratum erat vittis ornabatur, etiam currus Amphiarai

---

*) Memorantur illa ornamenta his locis: III, 566; 667; IV, 580; 598; 602; VII, 717; 736; 784; VIII, 89; 175; 276; 284; IX, 654; 764; X, 191; 256; A. I. 5^5.

**) Cum lauro (Virtus) iam sit ornata, vitta autem tum demum se velet, magis idoneum puto esse cum Barthio ‚nam‘ in ‚iam‘ mutare.

VIII, 127: *vittis lauroque insignis*; cf. ib. 174: *laurigeros currus.*

Primum auguris est **munus agendi auspicia.** Qui ritus accuratissime a Statio describitur. Augur, priusquam auspicetur, deos solet orare favorem, inprimis Jovem, auspiciorum auctorem; inde

III, 470: *Solita prece numen adorat.*

Visus in hoc sacerdotis in meridiem spectabat; quod ex III, 486: (aves) *subiere notos* apparere iam Weber animadvertit; quia Amphiaraus aves apud notos videt, eum necesse est ad meridiem oculos direxisse. Hinc explicatur notio adiectivorum dexter et sinister (laevus). In meridiem spectanti oriens sol sinistra, occidens dextra est; ergo quod sinistrum, prosperum, quod dextrum, adversum erat. V. Varr. l. V. quaest. epist. apud Fest. s. v. sinistrae aves.

III, 493: *Si datur . . signa feras laevusque tones,*
et 495: *Si prohibes, hic necte moras dextrisque profundum*
Alitibus praetexe diem.

Post obitum Amphiarai Argivi lamentantur:

VIII, 177: *Quis mihi sidereos lapsus mentemque sinistri*
Fulguris . . proferet?

Contra Graecis δεξιὸς ὄρνις prosper est, ἀριστερός adversus, quem usum — exceptis auspiciis — ex Augusti tempore Romani receperunt (cf. Cic. de div. II, 39, 82), ita ut apud hunc nostrum poetam praeter locos laudatos alterum adiectivum septies, alterum quater decies cum hac vi inveniamus.

Marquardt, röm. Altt. VI, p. 404: In den Eingang des tabernaculum setzt sich der augur und nachdem er den Göttern eine bestimmte Frage vorgelegt (legum dictio, vv. 491—496 supra prolatis) und von ihnen als Antwort darauf bestimmte Zeichen erbeten hat, erwartet er diese. Sessio autem non, ut Marq. l. l.[3] opinatur, verbo sedere III, 459 notata est; hoc potius cum dat. coniunctum idem vult quod placere (cf. I, 324; III, 491; V. Aen. I, 660; V, 418.) V. 496 demum dicitur:

Sic fatus et alto
Membra locat scopulo.

Postquam templum constitutum, augur lituo describit **regiones caeli:**

III, 499: *Postquam rite diu partiti sidera cuncta,*
Perlegere animis oculisque sequacibus auras.
ib. 524: *Clara regione profundi*
Aetheros innumeri statuerunt agmina cygni.

Penitus clarum enim oportebat esse aera; unde *cursus sereni* 503.

Marq. l. l. p. 405 pergit: Man unterschied unter den Vögeln **alites**, welche durch die Art ihres Fluges —

III, 503: *Vides, cursus ut nulla serenos*
Ales agat liquidoque polum complexa meatu
Pendeat aut fugiens placabile planxerit omen;
X, 201: *Me volucres circum plausere secundae;*

und **oscines**, welche durch ihre Stimme das Zeichen gaben —

III, 493: *omnis in astris*
Consonet arcana volucris bona murmura lingua;

ferner Vögel, welche als bestimmten Göttern heilig durch ihr blosses Erscheinen Glück oder Unglück bedeuten:

ib. 511: *Nocturnaeque gemunt striges et feralia bubo*
Damna canens.

Corvum, aquilam, noctuam, vulturem, accipitrem cognoscas ex 506 sqq. Parra et in alitibus et in oscinibus numeratur; recte eam Muellerum puto VI, 898 inseruisse pro Parcis: *dirae recinebant omina parrae.*

Praeterea, quomodo aves se gerant, multum interest:

III, 513: *Simul ora recurvo*
Ungue secant rabidae planctumque imitantibus alis
Exagitant zephyros et plumea pectora caedunt.

Similiter 530 sqq.

Tempus ad auspicandum maxime idoneum habebatur paulo ante solis ortum:

III, 468: *Evadunt . . madidos ubi lucidus agros*
Ortus et algentes laxavit sole pruinas.

Hoc sane tempus oblitus esse poeta videtur, cum de caligine loquatur et sideribus infra vv. 498 sq.

Praeter auspicia alium quoque in modum augur voluntatem deorum sciscitatur. Primum ex extis. **Extispicium** praeter fulgura et portenta proprium munus erat haruspicum: XI, 231; XII, 211. Tiresias refert patere deos

IV, 409: *non larga caede iuvencum,*
Non alacri pinna aut verum salientibus extis.

Quid in hoc inprimis respectum sit, cognoscendum ex

III, 456: *Principio fibris pecudumque in sanguine divos*
Explorant; iam tum pavidis maculosa bidentum
Corda negant diraque nefas minitantia vena.

Lact. dicit, esse quoddam in extis signum, quod deus appellatur; quod si integrum apparuerit, propitium numen ostendere; sin vero dimidium, iratum significare numen aut certe non praesens. Inde

VIII, 178: *caesis saliat quod numen in extis;*
et V, 176: *in nullis spirat deus integer extis.*

Quia et Graecis extispicium erat usitatum, ceteros omitto permultos locos.

Tum augures **vaticinantur** ex **sideribus**: III, 558; IV, 411; VIII, 177; ex **fumo** (*καπνομαντεία*) et igne: IV, 412; X, 605; A. I, 520.

Umbras ex inferis etsi iam in Odyssea videmus evocari, tamen ratio evocandi quam Tiresias sequitur IV, 406 sqq., prorsus ac plane (praecipue 515 sq.) *νεκρομάντεων* monet. V. Prell. röm. Myth. II, p. 423.

§ 8. De ominibus.

Romanorum consuetudo erat cuiusvis generis omina observandi eorumque aut bonam aut malam vim interpretandi. Quamobrem omina solebant aut accipere aut avertere deos precari. V. quod Hypsipyle narrat se fecisse propter metum, ne bustum patris inane ad Lemniades fallendas exstructum malum omen possit esse:

V, 318: *Cassumque parenti*
Omen et hac dubios leti precor ire timores.

Cum Polynices in ludis funebribus nudo quoque cuperet concurrere ferro, Adrastus prohibuit eum monens, ne tantum ius casibus fraternisque votis sinat esse simulque addens:

VI, 894: *Abigant hoc numina!*

Ex eadem consuetudine nata est usitatissima illa vox: *Di bene* (sc. verterunt aut vertant.): II, 170. IX, 296.

Prodigia inveniuntur apud Statium haec:

V, 86: *Quater axe sereno*
Intonuit, quater antra dei fumantis anhelos
Exruere apices, ventisque absentibus Aegon
Motus et ingenti percussit litora ponto.

Cf. quos Julii Obsequentis loc. Barthius ad hos vv. affert.

IV, 374: *Nam Tyrios sudare lares et sanguine Dircen*
Irriguam fetusque novos . . .
IX, 636: *Niveae saxum maduisse Dianae.*

Cf. Lucan. I, 556. Cic. de div. I, 43. Cuius non hic memoriae praesto sunt plurimi Liviani loci similia referentes? Paene exscriptos omnes putares esse libros VII, 404—421, quos versus quin addam non possum facere:

Quippe ferunt diros monitus volucresque feraeque
Sideraque aversi suis decursibus amnes,
Infestumque tonat pater et mala fulgura lucent;
Terrificaeque adytis voces clausaeque deorum
Sponte fores; nunc sanguineus nunc saxeus imber,
Et subiti Manes flentumque occursus avorum.
Tunc et Apollineae tacuere oracula Cirrhae,
Et non adsuetis pernox ululavit Eleusin
Mensibus cet.

Atalante praeter multa alia vidit

IX, 576 [exuvias] *delapsas adytis, quas ipsa dicarat.*

Mali occursus omen invenimus XI, 669, ubi Creon Oedipodi misero obviam eunti

Increpitans ‚procul' inquit ‚abi victoribus omen
Invisum.'

Cometae a Romanis credebantur esse infausti, praesertim regnis et regibus; Adrastus Apollinem appellat

I, 708: *Tu doctus, quae mutent sceptra cometae.*

Cf. Sil. It. I, 461: Crine ut fatifero terret fera regna cometes.

Val. Fl. VI, 608: iratoque locati
Ab Jove fatales ad regna iniusta cometae.

§ 9. De tibia.

In hac extrema parte adiungo usum tibiae, quippe cum ad sacra pertineat. Hic usus heroicae aetati nondum notus fuit. Inprimis adhibetur in cultu Dionysi: II, 77; V, 93 (*sacra vocant Idaeaque suadet buxus*); et ea Phrygia, curva seu adunco cornu (VI, 113; 115 *lege Phrygum maesta*), quae etiam biforis appellatur, quod duas fistulas habebat: IV, 668 *biforis tumultus* (cf. Varr. ap. Serv. ad Aen. IX, 618).

Ad VIII, 222: *Moderata sonum vario spiramine buxus.*
cf. Hor. a. p. 202 sqq.

Plerumque utilis est ad hilarandum: VII, 170; IX, 480 (*Bacchica mugit buxus*); A. I, 827 (*Ismenia buxus*); VIII, 265.

III. De rebus militaribus.

Cum Romanorum respublica magnitudinem suam et auctoritatem ante omnia egregiis institutis militaribus deberet, facile est intellectu, poetas, ut populares suos totos ad se convertant atque rapiant, harum

institutionum partem aliquam carminibus suis intexere. Ac Statium uberrime hoc fecisse, ex insequentibus cognoscemus.

Summum ducem exercitus, ut apud Homerum ita in Statio, regem esse supra iam memoravi. Romanorum autem morem milites duci aut imperatori **sacramento** obligandi tribus locis Statius adumbravit. Eteocles apud reges et milites contionatur:

VII, 378: *Meritas ultro iurastis in iras;*

ubi Lact: ‚Quia legiones cum scribuntur ante in sacramenta militiae compelluntur iurare.' Alter locus est:

IV, 305: *Hos belli coetus iurataque pectora Marti*
Milite vicinae nullo iuvere Mycenae.

Ibi Barth: Allusum Papinio arbitor sacramentum militare. — Addo etiam A. I, 787, ubi Ulixes de expeditione Troiana:

Omne simul roburque decusque potentis
Europae meritos ultro iuravit in enses.

Non minus **stipendium** aevo Homerico ignotum est (Buchh. l. l. II, 1, p. 306); milites Romani autem stipendia merebantur; inde

IV, 236: *Non hi tibi solum,*
Amphiarae, merent.

Ex **armaturis**, quae in Homero sunt, Statius essedarios retinuit, inprimis Amphiaraum, cuius interitus cum curru equisque notissimus erat. Verum **currus falcati** sunt temporis posterioris:

VII, 712: [Amphiaraus] *falcato Clonin et Chremetaona curru*
Comminus hunc stantem metit, hunc a poplite sectum.

Gravis hasta vulnerat

X, 544: *Anthea falcato lustrantem moenia curru.*

Cf. et Val. Fl. VI, 105. Arrian. tact. 2,5.

Tum novae sunt in pugna **quadrigae**, quarum usus iam in Sophoclis Amphiarao est, qui huic heroi τετρώριστον δίφρον tribuit (Strab. IX, 22).

VII, 309: *Sed potius celsos umbrantem hunc aspice late*
Hypsea quadriiugos.

XII, 747: [Theseus] *quadriiugo celsum petit Haemona curru.*

In artibus, quas Chiron Achillem docet, est

A. II, 142: *peditem volantes sistere quadriiugos.*

De quadrigarum in ludis et triumpho usu postea agam.

§ 10. De equitatu.

Tres habemus armaturas:

VII, 618: *una equites mixti peditumque catervae*
Et rapidi currus;

et X, 740: *Cornua nunc equitum, cuneos nunc ille pedestres,*
Et proculcantes moderantum funera currus.

Praeter essedarios igitur Homericos et pedites apud Statium equites in bellum proficiscuntur. Quamquam equitandi ars Homerum non plane fugisse videtur, immo Il. XV, 679 artificiosa quaedam exercitatio comparet, tamen nusquam eius armaturae est vestigium, quae ex equo pugnat. Statium vero equitationem secundum Romanam consuetudinem animo finxisse ad conformanda opus esse iuvenum corpora, demonstrat quod Achilles et Patroclus hanc artem a Chirone discunt.*) Quo fit ut ille lamentetur:

A. I, 633: *Nostros tu dirigis arcus*
Nutritosque mihi scandis, Patrocle, iugales.

Cf. ib. 797. Si cui adversus verbum ‚scandere' hoc loco dubium videtur esse, utrum equitare significatum sit an vehi, certo sciat ex

A. II, 112: *Vix mihi bissenos annorum torserat orbes*
Vita rudis, volucres cum iam praevertere cervos
Et Lapithas cogebat equo praemissaque cursu
*Tela sequi saepe ipse gradu me praepete Chiron.***)

Magna igitur exercitus et Thebanorum et Argivorum pars constat ex equitibus. Singuli **equitum duces** eminentes sunt Thebanorum: Halys II, 575; Pterelas VI, 632; Antiphus VII, 755; Prothous VIII, 536 sqq.; Amphion X, 388; 466; Argivorum Hippomedon IV, 136,***) Parthenopaeus IV, 317 et 328; V, 555; IX, 803 et 878; Eteocles et Polynices XI, 244; 439; 509 saep. in eod. libr.

Sed et maiorum manuum saepe mentio fit: IV, 371; V, 3; 691; VII, 306; VIII, 157; 350; 390 sqq.; 403; 447 cet. Atheniensium.

---

*) Cf. Conradum de Wuerzburg poetam nostratem.

**) In v. 114 Barth. equo in equos mutavit, quod postea in cod. Paris. P inventum est. Omnes autem ceteri codices lectionem ‚equo' habent, quam ego contra autoritatem Parisini retentam velim. Barthius fatuam dicit lectionem neque ullum ei sensum inesse. Attamen ipse statim addit, adeo fuisse celebres equitandi Lapithas, ut et frenare equos primi docuerint (ex Verg. Georg. III, 115). Quid autem est magis consequens quam ut coniciamus Achillem cum Lapithis equitando contendisse? Insuper egregie hoc modo verba sibi opponuntur: me cogebat Lapithas equo — cursu tela sequi; Chiron ipse gradu praepete iuxta eum equitabat. Lectionem ‚equos' recipi ultro vetat forma ‚Lapitha', quae nunquam pro adiectivo usurpatur.

***) IX, 135 sqq. et 196 sqq. pedibus pugnat; descenderat enim, ut Tydeus 206, qui Hopleo comiti suo equum mandavit. Hunc equum 219 Hipp. conscendit; cum autem vulneretur (284), iterum cogitur descendere.

XII, 657: *innumeris peditumque equitumque catervis*
Expirat protritus ager,

et ad bellum Troianum proficiscitur, ut Ulixes dicit,

A. I, 797: *quisque equo iaculoque potens.*

Instructi sunt equites calcaribus.

XI, 452: *Tendunt frena manu et saevis calcaribus urgent*
Immeritos. VI, 297; XI, 424 (?).

Equi reguntur non solum frenis et habenis, sed etiam **lupatis**; haec sunt frena lupis sive aculeis ferreis, qui forma luporum dentes imitantur, munita. Equi sitientes

IV, 730: *siccis inlidunt ora lupatis,*
Ora catenatas procul exertantia linguas.

VI, 281: [Neptunus] *primus teneris laesisse lupatis*
Ora et litoreo dormisse in pulvere fertur.

A. I, 280 poeta loquitur in comparatione de equo, qui *‚non aspera praebet ora lupis.'*

Alio habenarum generi Thetis utitur ad delphinos: murice, i. e. orcis cuspidibus acribus praeditis, A. I, 221.

Operti sunt equitum equi tegumine, purpureo XI, 398 (‚regio more' Barth.), ex pelle tigridis cum unguibus auratis:

IX, 685: [equum] *discolor umbit*
Tigris et auratis adverberat unguibus armis.

Aureis laminis enim a Romanis saepe inducebantur ungulae, ne quis earum acie posset vulnerari. V. etiam VI, 699. Verg. Aen. VIII, 553 saep.

Phaleris exornati sunt equi fratrum, quibus

XI, 405: [furiae] *frena tenent ipsa phalerasque,*

et **monili** equus Parthenopaei

IX, 689: *Iactantur niveo lunata monilia dente;*

ad quem vers. v. Rich. s. v. monile, ubi imagine etiam vox ‚lunata' explicatur.

§ 11. De divisione copiarum.

Singulis exercitus partibus Statius paene ubique Romana nomina tribuit. Hac in re autem omnibus necesse est confestim anachronismum conspicuum fieri considerantibus, quomodo nos animis commoveremur, si in pugnae Romanae descriptione forte ‚Regimenter' etc. legeremus. Immo hanc ipsam nominationem opinor Romano homini vere domesticam visam et lubentissime acceptam fuisse. Quod si contigit, poeta id quod voluit erat consecutus.

Exercitus Romanus constitit ex legionibus, cohortibus, manipulis. Rem nihil mutat, si ea nomina interdum universe pro ‚catervis, turbis‘ ponuntur. **Legionem** invenias

IV, 647: [Inachidae], *dumeta vaga legione tenebant*

et X, 195.

Quantopere Statius in Romana cogitatione haeserit, cognoscendum ex creberrimo usu **cohortis**. Hic singulos ex Thebaide et Achilleide locos affero:*)

VII, 145: *Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes*
Bacchus iter.

A. I, 482: *Haec Graiae castris iterant traduntque cohortes.*

Cohors erat composita ex quattuor **manipulis**; rarius hoc vocabulum universe usurpatur quam cohors:

IV, 65: *Non unus namque maniplis*
Mos neque sanguis. Ibid 237.

Ib. 801: *Ibi exultans conclamat ab agmine primus*
Sicut erat levibus tollens vexilla maniplis
Argus: ‚aquae!‘ Praeterea VII, 485; VIII, 134; XII, 399; 754.

Equitatum Romani dividebant in **alas turmas**que. His nominibus a Statio plerumque equites denotantur:

IV, 121: *Mittit opem denasque Pylos Neleia turmas.*

Argivi postquam pulsa sitis fluvio,

V, 7: *dispositi in turmas rursus . . . monentur*
Instaurare vias.

A. I, 418: *Dat bello pedites Aetolus et asper Acarnan,*
Argos agit turmas.

Bellona castra subiens IV, 10 *turmale fremit.***)

Turma erat triginta virorum, quod ex X, 222 videmus, ubi ex omnibus a Thiodamante delecta turma quaeritur:

Ter denos numero, turmarum robora, . . . legit.

In funere Archemori sunt multiplicatae; nam reges ibi ducunt

---

*) Reliqui sunt hi: IV, 76. V, 21. 672. V, 23. 240. 573. VII, 100. 145. 389. 501. 527. VIII, 260. 364. IX. 191. 371. 527. 650. 674. X, 8. 114. 269. 475. 785. XI, 136. 292. 331. 498. XII, 56. 182. 614. 685. 807. A. I, 841.

**) Illis hos adde locos: IV, 843. V. 12. 701. VII, 130. 688. VIII, 130. 536. 485. 570. 719. 744. IX, 33. 123. 672. 850. X, 235. 743. 931. XI, 22. 454. XII, 14. 753.

VI, 198: *septem numero turmas (centenus ubique*
Surgit eques).

Decem turmae efficiunt alam; singulas igitur alas equitum (*trecenos*) Lapithaon et Alatreus exercent VII, 306.

V, 691: *Volucres equitum praeverterat alas*
Fama recens. VII, 425; VIII, 351; 368; IX, 841; X, 466; 474.

§ 12. *De armatura.*

Armatura Thebanis et Argivis plane eadem est quae Romanis. Ego solum de armis loquar proprie Romanis.

Pretiosissima habebantur a Romanis a r m a e x o r i c h a l c o, quod hoc metallum et splendorem auri et aeris duritiem possideret (Serv. ad Aen. XII, 87). Talia fert Menoeceus, cui

X, 659: *visoque animata cruore*
Emicat effigies et sparsa orichalca renident.

Ac **pila** quidem propria sunt Romani militis tela, quae poeta incogitantia quadam καταχρηστικῶς, ut ait Barthius, Graecis exercitibus tribuit.

Aetolis IV, 111: *omnibus aeratae propugnant pectora crates*
Pilaque saeva manu.

Thebani dormitant X, 152: *mox et fulgentes clipeos et saevo remittunt*
Pila manu.

Argivi III, 582: *fessa putri robigine pila . . . recurant.*

Adrasti copiae **gaesis** utuntur i. e. hastis Gallicis, quas Romae quarto a. Chr. n. saeculo post bella Gallica in usum venisse verisimile est:

IV, 64: *Pars gaesa manu . . . habent;*

item Hypseos, de quibus Phorbas

VII, 339: *Cydoneas anteibant gaesa sagittas.*

Ergo non recte Rich s. v. gaesa notat, priorem illum locum proferens, Graecorum quoque gaesa in usu fuisse, quippe cum de suo aevo Statius haec illis arma tribuat.

Ἀναχρονιστικῶς etiam Eurymedontem qui sequuntur

VII, 269: *fraxineas Macetum vibrant de more s a r i s a s.*

Eaedem vocantur gaesa A. II, 132, ubi Achilles narrat Chironem se docuisse,

quo Macetae sua gaesa citent, quo turbine contum
Sauromates.

Et **contus** et **sarisa**, longitudine mira insignes, interdum etiam a Romanis gerebantur (Arrian. tact. 4, 7).

Duas hastas, quas apud Vergilium quidam milites gestant, ad Romanam Lerschius, antt. Verg. p. 79 sq., revocat consuetudinem, quod hastati binis pilis armati erant. Idem pertinet ad Statium:

II, 578: *Quae duo sola manu gestans acclinia monti*
Fixerat, intorquet iacula et fugientibus addit.

Hic iam Barthius morem Romanum ostendit.

IV, 86: [Polynicis] *gemino lucent hastilia ferro.*

Ambo loro conectuntur a Polynice

XI, 324: *Iam spicula saeva ligabat;* item

Amphiarai copiae

IV, 234: *tenent duplex inserto missile nodo.*

Hoc loro, quod **ammentum** vocabatur, utebantur, quo maiore vehementia pilum iacerent; velut Tyriorum animi laudantur,

IV, 153: *quibus haut ammenta nec enses*
Triste micant.

Polynices et Eteocles priusquam pugnam committunt, XI, 441 *explorant in digitis ammenta.* XII, 723 Thebani cunctantur cum Atheniensibus confligere, itaque ammenta *dextris laxa tenent.*

Clavae bello Troiano inusitatae erant; Nestor earum usum ut mirum profert Il. VII, 140. In Statio autem magna copiarum corpora eis exornata sunt. Chromis pugnans

II, 619: *pinea nodosae quassabat robora clavae.*

Ex Adrasti militibus habet

IV, 64: *pars robora flammis*
Indurata diu.

Trecentos Tirynthios Herculis more

IV, 155: *pineus armat stipes.*

Et Graeci bellum contra Troianos parantes

A. I, 437: *torrent sudes.*

Loricae catenis consertae Homericis heroibus incognitae sunt, at Romanis usitatissimae; eas reipublicae tempore portabant hastati teste Polyb. VI, 23; cf. Val. Fl. VI, 233. Thesei hasta in Creontem iaculata,

XII, 774: *qua subtemine duro*
Multiplicem tenues iterant thoraca catenae,
Incidit; emicuit per mille foramina sanguis.

In parando bello contra Troianos

A. I, 430: *ferrum lassatur in usus*
Innumeros . . . quod mille catenis
Squalentes nectat tunicas.

Huic loco III, 586 tam similis est, ut pro certo habere possimus, ibi quoque catenas intelligi:

Tunicas chalybum squalore crepantes
Pectoribus temptant.

Galearum catenis collum tuentibus instructarum mentio fit

IX, 697: *a cono missae in terga catenae;*

ubi Lact. explicat: ‚a parte enim galeae descendunt catenae, quae ab ictu colla sedentis defendant.‘ Quod tutamentum nullo praeter hunc loco invenitur. Cf. quae notat Barth.

In describendis galeis Statium Romanos respexisse manifestum est inprimis ex **crista**. Cum enim et Homeri et omnino Graecorum cristae ex pilis equinis constarent, Romani eas faciebant ex pennis. Itaque Amphiarai militibus est

IV, 236: *in cono Ledaeus apex.*

Color hic est albus, aliis locis ruber, velut IV, 218. In capite Hippomedontis

IV, 129: *tremit aerea cassis*
Ter niveum scandente iuba.

Ad eum locum refero, quod Lersch. antt. p. 74 dicit ad V. Aen. VII, 785: Triplicem iubam crinitam a Romanis hastatis mutuatus est poeta, si fides habenda est Polybio VI, 23, 12: *προσεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ καὶ πτεροῖς φοινικίοις ἢ μέλασιν ὀρθοῖς τρισίν.* (Quem l. iam Barth. affert morem animadvertens Romanum). Cf. et Val. Fl. III, 62.

Funditores quidem iam antiquissimis temporibus fuerunt; sed Statius **Balearicos funditores** ex bellis cum Hannibale arte nobilissimos in priscam illam aetatem vocat. Thebani in Capaneum oppugnantem iaciunt

X, 857: *validas fundae Balearis habenas.*

Et Achilles didicit,

A. II, 134: *flexae Balearicus actor habenae*
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu.

Graeci posterioribus temporibus et Romani praeter lapides saepe **plumbeas glandes** in fundas imponebant, quae violenter emissae in aere calido nonnunquam liquescere putabantur. V. Serv. ad V. Aen. IX, 588. Lucr. VI, 176.

VIII, 417: *Stridentia funda*
Saxa pluunt, volucres imitantur fulgura glandes.

Hypsei catervis cura est,
VII, 338: *glandibus et torta zephyros incidere funda.*

Tyrii in oppugnantes rotabant
X, 533: *arsuras caeli per inania glandes.*

Capaneus
ib. 744: *spargit torquens volucri nova vulnera plumbo.*

Graeci denique bellum parantes laborant
A. I, 436: *fundere glandes.*

§ *13. De signis.*

Signorum militarium nullum est apud Homerum vestigium. Statius et **vexilla** et **signa** exercitibus Graecis tribuit sicut ante eum Sen. Phoen. fr. 28. 38 sqq. saep.

Duos locos iam supra attuli, IV, 802, ubi Argus vexillifer praeequitans primus fontem detegit, et XII, 399, ubi Polynices maniplis vexilla dat. Ceteroquin v. VII, 248. 622. XII, 647. 782.

Distinguendum a vexillo est id quod proprie signum appellabatur quodque apud Romanos legiones gerebant: VII, 250. 740. VIII, 186. IX, 827. XI, 409. 758. Et Stygiae sorores X, 832 *Capanea signa secutae* dicuntur. Achillem discedentem Deidamia orat:
A. I, 949: *Cur non ego Martia tecum*
Signa feram?

Signa ferre alicuius idem valet quod stare ab aliquo; unde Tisiphone ante certamen fratrum sororem hortatur:
XI, 101: *Agedum elige, cuius*
Signa feras.

Signa proferre term. militaris est pro proficisci (Liv. IV, 32, 10):
IV, 74: *Proxima longaevo profert Dircaeus Adrasto*
Signa gener.

Magis etiam insigne ad profectionem exercitus est vocabulum ‚signa vellere' sc. ex humo, quia in castris signa humi figebantur (Liv. III, 50, 11): VI, 229: *Martia vellunt*
Signa tubae.

In pugna **signiferi** omnes praecedebant:
X, 555: *Signifer ante omnes sua damna et gaudia portat.*

Insignia bis nominantur: VI, 214 in funere Archemori; X, 8 lacera post pugnam iacent in campo.

§ *14. De classico.*

Propriam ego armis conditae Romanorum reipublicae notam duco eam, quod praeterquam in cultu deorum musicae praecipue in re militari operam dabant. Scilicet in hac organis clare sonantibus, quae procul possent exaudiri, opus fuit. Usitatissima est **tuba**, quae a Tyrrhenis ferebatur esse inventa (VII, 631). Cum hac notio belli adeo est coniuncta, ut ‚tuba canit' idem velit quod ‚bellum seu pugna committitur.' (VI, 140 *ante tubas* = ante bellum). Eam Homero constat fuisse ignotam; nam etsi in comparatione Il. XVIII, 219 *σάλπιγγος* mentionem facit, certe in pugna ipsa nusquam eam videmus adhiberi. (V. schol. ad Il. l. l.). In pugna contra Thebas iam tuba sonat apud Euripidem
Phoen. 1387: *τυρσηνικῆς*
σάλπιγγος ἠχή, σῆμα φοινίου μάχης.

Ad hos vv. notat schol: *Ἐπὶ τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας οὔπω ἐχρῶντο τῇ σάλπιγγι Ἕλληνες· ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐπὶ τοῦ Τρωικοῦ πολέμου. Ὅμηρος δὲ αὐτὸς οἶδε μὲν τὴν σάλπιγγα, οὐ ποιεῖ δὲ αὐτῇ χρωμένους τοὺς ἥρωας. Πρῶτος δὲ Ἀρχίδας συμμαχῶν τοῖς Ἡρακλείδαις ἤγαγεν τὴν Τυρσηνικὴν σάλπιγγα εἰς Ἕλληνας.*

Statius morem populi sui secutus tubae ubique magnas partes assignat.

Tubae signum est classicum:
II, 419: *Hostiles inimicant classica turmas.*
III, 662: *Prima ad classica.*
XII, 610: *Infelix expavit classica Dirce.*

Tria eorum instrumentorum genera discernuntur; quae omnia ex aere facta erant: **tuba**, quae est recta; **lituus** ima parte paulum incurvus; **cornu**, quod in semet ipsum reflectitur et pectus canentis circumplicabat. Statius poetice omnes confundit:
III, 568: *Iam bella tubaeque*
Comminus. Capaneus Amphiarao optat,
III, 650: [ut ei] *non unquam Tyrrhenus* tempora circum
Clangor eat. Ibid. 664; IV, 261; VII, 11; 172; 187; X, 233; 827.
XI, 58: *Tisiphone fraterna cludere quaerit*
*Bella tuba.**)

---

*) Hoc l. mihi non videtur posse fieri, ut tuba pro pugna usurpetur, et iure Kohlmannus putat vocabulum esse corruptum et repetitum ex v. 56. Et iam Sandstroemius pro ‚fraterna tuba' mutavit ‚fraterno rogo.' Ego conicio

XI, 325: *Ad lituos hilarem intrepidumque tubarum*
Prospiciebat equum.

In certamine fratrum

XI, 409: *siluere tubae stupefactaque Martis*
Cornua. Ibid. 529.

Achilles vir cognoscitur classico Agyrtis A. I, 6; 724 spp.; 875; II, 39.

Tubae cantus exercitum comitatur a profectione usque ad reditum omnibus in actionibus:

Antequam itur in bellum:

IV, 94: *Tydeus iam laetus et integer artus,*
Ut primae sonuere tubae.

Cum exercitus proficiscitur:

IV, 342: *Iam horrida clangunt*
Signa tubae;

III, 708: *Rauca dabunt abeuntibus armis*
Signa tubae.

In itinere tuba sonat, nam Lycurgus

V, 648: *maestus vicini pulvere Martis*
Angitur ad lituos,

i. e. cum appropinquantem audiret exercitum. Signum dat pugnae committendae:

VIII, 342: *Iam Mavortia contra*
Cornua, iam saevos fragor aereus) excitat enses.*

Inter pugnam omnes tubae sonant:

IX, 724: *In dulces lituos ululataque proelia gaudes;*

praecedunt una cum signis; inde in pugna necopinato orta

VII, 622: *retro vexilla tubaeque*
Post tergum et litui bellum invenere secuti;

inprimis in oppugnatione:

X, 552: *At tuba luctificis pulsat clangoribus urbem*
Obsaeptasque fores sonitu perfringit amaro.

Silent autem, cum intermittitur:

XII, 721: *Non clamor utrimque,*
Non utrimque tubae

‚fraterno obitu' sive ‚abitu' morte, quod verbum ultro easdem litteras inversas continet quas tuba. Cf. II, 117 *fraternos obitus;* IV, 640 *pulchri obitus;* IX, 559 *abi* — morere. Obitus = mors apud Cic. rep. 2, 52.

*) Fragor aereus = tubae 345.

Receptui canitur

VIII, 154: *Sponte agmina retro*
Non exspectato revocantum more tubarum
Praecipitant. ‚Mos' hic certum sonum revocationi destinatum denotat; recte id Barthium animadvertisse cognoscas ex

XI, 50: *Stabat in Argolicae ferrato culmine turris*
Egregius lituo dextri Mavortis Enyeus
Hortator; sed tunc miseris dabat utile signum
Suadebatque fugam et tutos in castra receptus.

Sequitur nota illa fabula Münchhausenia qua poeta Ennium expressit, cuius hi vv. servati sunt a Lactantio:

Quumque caput caderet, carmen tuba sola peregit
Et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit.

Enyei enim vulnerati

(56) *iam gelida ora tacent, carmen tuba sola peregit.*

Redeuntes e bello cum tubarum sonitu urbem ingrediuntur; sic Thesea

XII, 522: *emeritis hilaris tuba nuntiat armis.*

Usum tubae in funere et ludis v. infra.

§ 15. De belli initio.

Bellum Romani ex antiquissimis temporibus ita solebant indicere, ut fetialis hastam ferratam ad fines hostium ferret in eorumque agros emitteret. Quod cum postea imperii amplitudo prohiberet, Romae ad templum Bellonae fiebat. Ibi enim illa hasta servabatur. Ov. fast. VI, 207. Hic mos respicitur IV, 5, ubi Bellonae ipsi hoc hastae iaciendae munus transfertur:

Ostendit Bellona facem dextraque trabalem
Hastam intorsit agens, liquido quae stribula caelo
Fugit. Eodem spectat

XII, 649: [Theseus] *emissa praeceps iter incohat hasta.*

Priusquam in bellum exercitus proficisceretur, sacra fiebant et extispicia, ideo

IV, 13: *cadit ingens rite Tonanti*
Gradivoque pecus nullisque secundus in extis
Pallet et armatis simulat sperare sacerdos.

In itinere ipso certus ordo servatur; suum quisque et dux et gregarius miles locum tenet, itaque Argivi postquam sitim sedaverunt,

5

V, 7: *dispositi in turmas rursus legemque severi*
Ordinis, ut cuique ante locus ductorque, monentur
Instaurare vias.

Robur exercitus antecedit **primum agmen**, quod in Thebaide semper equitatu efficitur aut saltem maiorem manum equitum secum ducit, ita ut id quod est de ea re apud Iw. Muellerum, Handb. d. Altertw. IV, 2, p. 733 supplendum velis. Hodie quoque maiori copiarum moli equitatus praemittitur.

Adrastus Hypsipylen hortatur:

V, 43: *Immo age, dum primi longe damus agmina vulgi*
Pande nefas.

Cum hoc agmen primum ad Asopi ripas veniret,

VII, 425: *non ausae transmittere protinus alae*
Hostilem fluvium,

donec Hippomedon cunctantem suum equum deiceret flumenque primus tranaret. Etiam IV, 801 equitatus praecedit duce Argo qui fontem detegens: *conclamat ab agmine primus**)
Argus: ‚aquae!'

Praemissos equites, qui **exploratorum** loco sunt, et robori exercitus, quae recognoverunt, retro nuntiant; v. etiam IV, 733 sq. V, 555 sq.

§ 16. *De castris.*

Romanae fuit consuetudinis, ut exercitus ne unam quidem noctem sine castris et vallo degeret, ita ut vel post longissimum iter milites, simulatque in locum destinatum advenerunt, castra munire inciperent. Locus castris collis leniter declivis eligi solebat — contrarium est teste Caes. b. g. VIII, 36, 3 barbarorum consuetudo —; hic **aggere, vallo**, cui pinnae seu valli impacti sunt, **fossaque** muniebatur. Cuncta haec praecepta natura adiuvante accuratissime Argivi secuti sunt VII, 441 sqq., ubi

v. 448: *In vallum elatae rupes devexaque fossis*
Aequa et fortuito ductae quater aggere pinnae;
Cetera dant ipsi . . .

Thebani X, 262: *per abruptas castrorum ex aggere pinnas*
Praecipitant saltu.

---

*) Hoc loco complures libri manuscripti meliores (fortasse etiam Paris.) praebent: ab agmine primo, quod ego probaverim.

Forma castrorum Romanorum erat quadrata; sed interdum etiam alia, ut castra lunata, quibus Caesar Thapsum firmaverat, (b. Afr. 80). Talia Statius ante oculos habuisse videtur

X, 40: *Tum frontem aversaque terga*
Partiti laterumque sinus, vallum undique cingunt
Ignibus infestis.

In castris sunt portae aheneae X, 263; 270; claustris indutae VII, 482; unde clamat Iocaste ib. 483: *Reserate!* Cf. XI, 137; 202.

In mediis castris erat **praetorium**, apud quod signa in terra infixa stabant; huc spectat

X, 176: *Ventum ad consilii penetrale domumque verendam*
Signorum.

Milites Romani sub **tentoriis** considunt e pellibus constructis, apud Homerum sub casis ligneis. Secundum illos Argivorum

X, 299: *sanguineis nutant tentoria rivis.*

Thebani VII, 458: *spectant tentoria contra*
Inachia,

et XII, 39: *deserta vagi Danaum tentoria lustrant.*
Cf. VIII, 172.

Dispositae ad castra custodienda excubiae (X, 18), vigiliae (XII, 308; 449), stationes (X, 74; XI, 240) factique ab eis ignes (VII, 459; VIII, 266; X, 41; 155; XII, 252) Homero quidem satis nota sunt, sed instructio ducis noctis pro excubiis (X, 18) non minus quam **vicium** (i. e. ‚militum custodiae, qui ad vigilandum sibi vicissim succedunt'; Lact.) certus ordo id ostentant, a Romanis haec omnia poetam desumpsisse. Praeter X, 18 vid.

XII, 351: *Illam nam tempore in omni*
Attendunt vigiles et rex iubet ipse teneri
Contractaeque vices et crebrior excubat ignis.

Omnem de hac re tollit dubitationem mentio **tesserae**, cuius duplicem usum allatis duobus Statii locis Lersch ant. p. 49 sq. bene explicat.

VII, 236: *Longe fugit ordine velox*
Tessera: propellunt acies seseque sub armis
Ostentant.

Ut enim socii Romanorum possent discerni ab hostibus, ante pugnam eis distribuebatur tabella lignea. V. Liv. XXVII, 46.

Ceteroqui tessera idem est quod nos ‚Parole, Losung' vocamus:

designantur quaedam vocabula, quibus vigiliae se noctu inter es agnoscant. Unde

X, 17: *Dat tessera signum*
Excubiis.

§ 17. De oppugnatione.

In obsidione Thebarum Statius et oppugnantibus et oppugnatis adiumenta tribuit, quae illo tempore nondum viguerunt. Ex Iliade videmus murum unicam urbis Troiae tutelam fuisse ac neque fossas neque alia munimenta adhibita esse. E variis autem Thebaidos locis apparet Thebas praeterquam muro (qui *portas ferratas* habet X, 510 et *speculas* X, 491; XII, 252) vallo fossaque circumdatas fuisse.

X, 519: *Solvitur interea vallum primaeque recusant*
Stare morae . . .
. . at patulas saltu transmittere fossas
Horror equis.

XII, 9: *Vix . . munimina valli*
Solvere, vix totas reserare audacia portas.

Verbum ‚solvere' monstrat, in aggere, fortasse parvo spatio intermisso, stipites pactos fuisse, qui oppugnantibus ex humo evellendi erant, priusquam vallum transgrederentur. ‚Morae' igitur impedimenta sunt aeque ac X, 525 ‚*praefixa solo munimina*,' quae milites vellunt, et *portarum obiectus*, quos minuunt (= obices portarum subversi Tac. ann. III, 39).

Oppugnatio ipsa tempore heroico nihil erat nisi conclusio urbis eiusque in moenia ascensus. Eteocles autem iam **cuniculos** agere novit, cum Atreo dicit, eum praefurere,

II, 418: *ceu saepta novus iam moenia laxet*
Fossor.

Fossores autem, inquit Lact., dicuntur in exercitu cuniculatores, qui cuniculos faciunt, per quos introgressi milites murorum fundamenta convellunt.

In oppugnatione **tormenta** adhibentur, quibus saxa iaciuntur:

IX, 146: *Non illum impacta moverent*
Tormenta oppositum.

X, 859: *Verum avidi tormenta rotant et molibus urgent.*

A. I, 422: *Murorum tormenta Pylos Messenaque tendant.*

Arietis quoque saepius mentio fit: Plebs e portis funditur

II, 491: *ceu castra subire*
Apparet aut celsum crebris arietibus urbis
Inclinare latus.

Hypseus a Capaneo vulneratus

IX, 554: *ruit haut alio quam celsa fragore*
Turris, ubi innumeros penitus quassata per ictus
Labitur effractamque aperit victoribus urbem.

X, 527: *Trabibusque et ariete sonoro*
Pellunt saxa loco.

Et supra (II, 492) et hic puto arjet loquendum esse; sane illic syllaba arj longa, hic correpta posita est.

Oppugnantes ad moenia accedunt aut per **testudinem**, ut

X, 530: *Pars ima lacessunt*
Scrutanturque cavas caeca testudine turres;

aut per **ferratas turres** ambulatorias, ut Enyeus XI, 49 stabat in Argolicae ferrato culmine turris.

Ex his turribus **pontes** (vel sambucae) demittebantur in muros; inde

X, 879: *Absiliunt pontes.*

Capaneus autem moenia **scalis** ascendit:

X, 841: *Innumerosque gradus, gemina latus arbore clausus*
Aerium sibi portat iter.

et. ib. 848: *Alterno captiva in moenia gressu*
Surgit.

Obsessi **sudibus** vel asseribus turres delere conabantur (Caes. b. c. II, 2. b. gall. V, 43 ferventes fusili ex argilla glandes):

X, 532: *Nigras sudes et lucida ferro*
Spicula et arsuras caeli per inania glandes
Saxaque in adversos ipsis avulsa rotabant
Moenibus. Cf. X, 856 sq.

V, 386: *Vastae sudes fractique molares*
Spiculaque et multa crinitum missile flamma
Nunc pelago nunc puppe cadunt.

Talia missilia stuppa circumligata saepe inveniuntur apud scriptores Romanos et inprimis ad incendia navium videntur fuisse (Caes. b. civ. III, 101, 2). Eiciuntur ex **fenestris moenium:**

X, 536: *Armataeque vomunt stridentia tela fenestrae.*

Cf. Caes. b. c. II, 9.

§ 18. De pugna.

Totam vidimus oppugnationem depictam esse ex exemplari

Romano. Non aliter res se habet, si ad pugnam in campo animum advertimus, quoad ex singulis indiciis summatim factis de eam peragendi ratione concludi potest. Eius rei insignis est locus VII, 391; ibi Eteocles

omnia rite
Disponit, qui bella gerant, qui moenia servent,
Quas in fronte manus, medio quas robore sistat.

Summus ergo dux aciem instruit; quae saepe formam habet **cunei**:

IX, 677: *Stat cuneo defixa acies.*

Complures sunt cunei X, 740, ubi Capaneus agit

cornua nunc equitum, cuneos nunc . . pedestres.

Hic schol. vet.: Cuneatim compositum agmen, ut hostem facilius invadant. Veget. III, 19: Cuneus dicitur multitudo peditum, quae iuncta cum acie primo angustior, deinde latior procedit et adversariorum ordines rumpit. Itaque cuneus de maiore manu peditum artius inter se coniunctorum usurpatur: VII, 728; VIII, 673; IX, 123. Menalcas Lacedaemonius VIII, 431 *cunei ductor* appellatur.

Clamor in impetu etsi iam in Iliade reperitur (III, 2; IV, 436), tamen teste Caes. b. c. III, 9 apud Romanos erat antiquitus institutus. Ideo etiam in Statio:

VII, 271: *Ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes.*

In ducis occisi locum succedit, qui ei ordine proximus est; itaque

X, 179: *stant circum subiti proceres, ut quisque perempto*
Proximus.

Captivi vinciebantur catenis manibusque in terga religatis; sic Thebani perterriti

X, 562: *saevas mente accepere catenas.*

VII, 517: *Religa captas in terga sorores,*
Inice vincla mihi. A. I, 944.

Antigonam et Argiam deprehensas in concremando Polynice XII, 460 *dextras iuvat insertare catenis;* ad h. v. Barthius: Modo non ex suis temporibus antiqua loquatur Papinius.

Post pugnam vulnera lavantur et consuuntur:

VIII, 167: *Vix magna lavantur*
Vulnera et efflantes libet internectere plagas.

Lact. hic notat, medicos solere letalia vulnera suturis annectere.

X, 732: *Ego vulnera doctum*
Iungere . . . Aethiona petam.

Otiosi post pugnam milites arma curant tergentque:

VIII, 164: *Nil solitum fessos iuvat: abiecere madentes*
Sicut erant clipeos, nec quisquam spicula tersit,
Nec laudavit equum, nitidae nec cassidis altam
Compsit adornavitque iubam.

Ex voce ‚solitum‘ certo concludi potest, poetam Romanorum militum consuetudinem describere. Ceterum pro ‚laudavit‘ fortasse legendum ‚lavitavit,‘*) quia non nisi de purgatione dicitur.

§ 19. De spoliis.

Denique post pugnam caesorum spolia legebantur (Liv. V, 36, 7), quae egregiis militibus distributa ab his aut retinebantur et in domibus ad postes affigebantur aut in templo alicuius dei dedicabantur. Opima dicuntur spolia, quae dux duci hostium detraxit.

X, 27: *Ismenos raptis tumet Hippomedontis opimis.*

VIII, 450: *Dum spolia omnia caesis*
Eripiunt, ridere nefas. V. I, 461; II, 682; VIII, 700; IX, 26; 442.

IV, 333: *Sacris . . . exuviae cecidere tholis.* Cf. silv. I, 4, 33.

Atyn perculsum spoliare superbiens Tydeus ait:

VIII, 588: *Neque enim has Marti aut tibi, bellica Pallas,*
Exuvias figemus.

II, 257: *Summi delapsus culmine templi,*
Arcados Euippi spolium, cadit aereus orbis.

Atalante videbat

IX, 576: *delapsas adytis quas ipsa dicarat*
Exuvias.

De Amphionis armatura Parthenopaeus

IX, 818: *Cultus Triviae pendebitis alto*
Limine, captivis matrem donabo pharetris.

Idem 907: *Arma ingratae munus suspende Dianae.*

III, 511: *Arma paternis*
Postibus et fixos superum ad penetralia currus
Vellere amor. XI, 561; XII, 699.

In domo Martis

VII, 55: *terrarum exuviae circum et fastigia templi*
Captae insignibant gentes caelataque ferro
Fragmina portarum bellatricesque carinae
Et vacui currus protritaque curribus ora.

---

*) Lavitare v. ap. L. Pomp. com. (Munk, de Atellanis p. 158 fr. II).

Vocabulo ‚insignibant‘ allusum esse morem Romanorum, qui exuviis hostium suspensis nomina gentium inscribebant, bene adnotat Barthius. Quod videmus ex nummis, ubi subactarum gentium figurae plorantes effigiantur et iuxta stans praepes victoria clipeis ea inscribens. Cf. Verg. Aen. VII, 183 sqq.

Carinae illae significant **spolia navalia**, quae Scyri quoque rex in muris oppidi suspendit:

A. I, 778: *Signa triumphi*
Vidistis celsa murorum in fronte carinas.

§ 20. *De triumpho.*

Romano duci e bello redeunti victori a senatu permittebatur, ut triumphans urbem pompa magnifica ingrederetur. In hac senatores praeibant; sequuntur eos tubicines, post hos longo ordine spolia portantur et captivi nobilissimi ducuntur; curru laureato et a quattuor equis albis tracto vehebatur ipse triumphator, post quem et filii et legati equitabant; spectatores: ‚Io triumphe‘ conclamabant.

Cuncta haec singula reperias in triumpho, quem Theseus de Amazonibus agit

XII, 519: *Iamque domus patrias Scythicae post aspera gentis*
Proelia laurigero subeuntem Thesea curru
Laetifici plausus missusque ad sidera vulgi
Clamor et emeritis hilaris tuba nuntiat armis
Ante ducem spolia.

Sequitur enumeratio praedae.

ib. 529: *Ipsae nondum trepidae sexumve fatentur*
Hippolyte, iam blanda genas patiensque mariti
Foederis.

532: *Primus amor niveis victorem cernere vectum*
Quadriiugis.

Postequitantem Phegeum adloquitur Theseus:

596: *Verte hunc adeo, fidissime Phegeu,*
Cornipedem.

Voce triumphi ipsa saepius utitur poeta: VII, 516; XII, 541; 579; 612.

Cf. XII, 585: *Semper et in curru, semper te mater ovantem*
Cernat!

Ad finem fere progresso tractationis de bello restat mihi morem **claudendi templum Iani** commemorare. Livio teste enim (I, 19) Ianus ille Romanis erat index pacis bellique, apertus ut in armis esse civitatem, clausus pacatos circa omnes populos significaret. Bis Statius eum morem designavit; primum V, 146; Hypsipyle narrat:

Arma
Indulget pater et saevi movet ostia belli.

Patrem hic Martem intellegas, cum apud Val. Fl. V. 307 Juppiter sanguinei magna ostia belli moveat. Tum Ulixes Achillem monet:

A. II, 34: *Te divum oracula poscunt*
Erectumque manet reserato in limine bellum.

§ 21. *De navibus.*

Quoniam etiam naves ad rem militarem pertinent, quaedam de eis hic inseram. De suis temporibus ad priora illa poeta revocavit **rostra** (V, 371), **transtra** (A. I, 442), **proram aeratam** (V, 335). **ancoram** (IV, 25; apud Homerum enim lapidibus nautae pro ancoris utuntur).

Naves Romanae in prora habebant quoddam **insigne** i. e. figuram aut scalptam aut pictam, ex qua appellabantur; in puppi **tutelam** i. e. dei alicuius imaginem, quo tutante navigabant. Signum illud poeta respicit, cum de Argonautarum alno Hypsipylem haec dicentem facit:

V, 371: *Labat extantem rostris modo gurgite in imo,*
Nunc caelo Tritona ferens.

E rostris igitur (quae sunt in prora) extat (ergo scalpta erat figura) Triton. Tritonis nomine navem v. apud Verg. Aen. X, 209.

Tutelam recognoscimus ex comparatione

VIII, 270: *Solus stat puppe magister*
Pervigil inscriptaque deus qui navigat alno.

Ad haec extrema verba Lact.: Deum, tutelam navis, intelligimus cum gubernatore navigare: habent enim scriptos vel pictos praesules suos naves.

Simile quid ἄφλαστον Homeri fuisse videtur (Il. XV, 717), quod Doederlein πλάσμα, θεῶν τύπον explicat (Buchholz, Real. II, 1, p. 252), Autenrieth (Hom. Lex. s. v.) autem iustius, ut opinor, simplex aplustre interpretatur. Quocunque modo res se habet, id nemo non perspiciet, Statium Romanae rei navalis consuetudinem effinxisse.

IV. De rebus privatis.

§ 23. *De domibus.*

Homeri tempore multum abfuisse, ut domus sive regiae sive privatae tanto splendore tantaque luxuria exornarentur, quanta con-

senescente iam republica Romana vel sub imperatoribus, manifestum est. Ac Statius ipse suae aetatis magnificentiam opponit simplicitati illius, quam carmine depingit. In exponendis enim causis, cur fratres alter alterum de regno expellere conetur, dicit:

I, 144: *Et nondum crasso laquearia fulva metallo,*
Montibus aut alte Grais effulta nitebant
Atria, congestos satis explicitura clientes;
Non impacatis regum advigilantia somnis
Pila, nec alterna ferri statione gementes
Excubiae, nec cura mero committere gemmas
Atque aurum violare cibis: sed nuda potestas
Armavit fratres, pugna est de paupere regno.

Atqui cum hac ipsa oppositione — ut omittam, quod postea iam 517 toros auro sonantes et II, 67 iuga regiae Laii nixa descripserit columnis celsis — magnopere statum illius aevi neglexit. Nam mihi videtur dicere: fuisse quidem omnes illas res, at nondum tam magnifice adornatas: fuerunt igitur laquearia, sed non fulva crasso metallo, fuerunt atria, sed non montibus Grais alte effulta, atque ea minus ampla, sed congestos clientes explicitura. Poetae nimirum in animo quasi insita atque innata haeret opinio, Thebanorum a se descriptorum domus similes esse domuum Romanarum. Lacunae quadratae autem ornamenta erant Romanorum conclavium, **atrium** pars est domus Romanae, in atrium denique conveniebant nobilium clientes salutaturi patronos. In atrio praeterea versantur feminae, quamobrem

X, 567: *atria femineis trepidant ululata querellis,*

ibidemque **maiorum imagines** collocatae erant:

II, 214: *Laeto regalia coetu*
Atria complentur; species est cernere avorum
Comminus et vivis certantia vultibus aera.

De clipeatis, quae dicebantur, poetam hic cogitasse imaginibus docet Marq. l. l. VII, 1, p. 245 [1]. Atria *fervent regali strepitu* A. I, 755. Cf. I, 436. Caeli atria sunt I, 197, atria Somni X, 87.

In domibus nobiliorum atria plerumque circumdata erant porticu; talis ob oculos versatur Statio A. I, 745, ubi Ulixes

porticibus vagis errat totosque penates,
Ceu miretur, adit.

Ante atrium in aedibus Romanis erat **vestibulum**; ibi pernoctat Polynices I, 385. In vestibulo Somni sedent X, 91 Otia et Silentia.

Illustrandis conclavibus apud Homerum inserviunt λαμπτῆρες, qui

sunt pelves, quae eaedem ligno arido completae conclave calefacerent. Regia Adrasti autem more Romano et eo aetate posteriore illustratur **lychnis** auratis:

I, 520: *Ast alii tenebras et opacam vincere noctem*
Adgressi tendunt auratis vincula lychnis.

Bene hunc Lact. excusat anachronismum dicens: Vitandae humilitatis aucupio lucernas noluit dicere; indignum enim id heroo carmine fuerat. Cf. Verg. Aen. I, 726.

§ 24. *De conviviis.*

Quae de conviviis apud Statium nobis occurrunt, omnia penitus ad Romanum morem sunt accomodata. Apud Homerum enim cum cenantes considant, Romani **discumbebant in lectis**.

Adrastus inter epulas

I, 526: *superbis*
Fulgebat stratis solioque effultus eburno.
Parte alia iuvenes siccati vulnera lymphis
*Discumbunt.**)

In domo Chironis

A. I, 109: *signa deumque tori et quem quisque sacravit*
Accubitu genioque locum monstrantur.

Mensas torosque v. etiam VIII, 257; A. I, 770; *strata* ibid. 802.

Prioribus temporibus feminae cum viris cubantibus sedentes cenitabant (Val. Max II, 1, 2), ,quia turpis visus est in muliere accubitus., Postea feminae quoque cubantes epulis virorum intererant. Pariter etiam filiae Lycomedis regis, e quibus intrantibus Ulixes Achillem frustra conatur dignoscere, nam

A. I, 763: *latuit mensura iacentum.*

Barth. hic notat, bene hoc more heroica tempora confundi Romanis. Item Lemniades cum viris accumbunt

V, 191: *Serta inter festasque dapes quo maxima cultu*
Quaeque iacent.

Quod Serv. ad Aen. I, 726 ex Catone affert, in atriis Romanos epulatos esse, confirmatum invenimus

A. I, 755: *Iamque atria fervent*
Regali strepitu et picto discumbitur ostro;

---

*) Cf. contra, quod Athen. XI, 1 de hac cena narrat: *παρὰ τῷ Ἀδράστῳ καθίσαντες οἱ ἀριστεῖς δειπνοῦσιν.* Quam contrarium id Statio esset, Casaubonus iam observavit. V. edit. Athenaei Schweighaeuserianam.

Lecti a permultis famulis — tricliniariis — tegebantur pretiosissimis **stragulis**, quibus peristromatum nomen est:

A. I, 741: *Nec mora, iam mensas famularis turba torosque*
Instruit.

I, 515: *Dictis parere ministri*
Certatim accelerant; vario strepit icta tumultu
Regia: pars ostro tinctos auroque sonantes
Emunire toros alteque inferre tapetas,
Pars teretes levare manu ac disponere mensas.

Cf. Val. Fl. II, 651 sqq. Tapetas illos bene iam Barth. interpretatur aulaea, (vocabulum ,alte' eo praecipue monstrat) quibus parietes in epulis amplioribus solebant ornari, unde Hor. carm. III, 29, 14:

Mundeque parvo sub lare pauperum
Cenae sine aulaeis et ostro.

Contra V, 208 lecti tapetibus operti sunt. Mensae teretes sunt rotundae, ex more Romanorum, quibus studium rotundarum mensarum, cum veteres quadratis fuerint usi (Varr. l. lat. V, 118).

Caro in veribus torretur; panis in canistris apponitur (I, 522 sq.) ut apud Romanos ita iam apud Hom. Od. I, 147.

Proprii Romanorum moris erant **duae mensae**, prima epularum, secunda poculorum (cf. Serv. ad Aen. I, 723), quae et comissatio appellabatur. Has duas mensas poetam opinor significare II, 61, ubi Adrastus dicit: *super hesternas licuit cognoscere mensas.*

Comissationis morem cognoscas

I, 539: *Postquam ordine mensae*
Victa fames, signis perfectam auroque nitentem
Iasides pateram famulos e x m o r e *poposcit.*

(Ad v. 540 cf. 149 sq.).

Pariter A. I, 773: *Ut placata fames epulis bis terque repostis*
Rex prior adloquitur paterisque hortatur Achivos.

Antequam potarent, libare ac deos invocare consueverant:

I, 552: *Hanc* [pateram] *undante mero fundens vocat ordine cunctos*
Caelicolas.

Sertis autem crateres et pocula Romani cingebant i. e. coronabant in comissationibus; iniuria igitur quidam Aeneidos editores contendunt, Vergilium (Aen. I, 714) non satis intellexisse Homericum illud ἐπιστέψασθαι ποτοῖο (idem valens atque ,vino implere ad marginem'). Quo fit ut Thebani quoque habeant VIII, 225 *serta coronatumque merum.*

Et ipsi convivantes effrenatis iam temporibus reipublicae se ungebant et corona ornabant (J. Müller, Handb. IV, 2, p. 872). Sic Lemnii reversi

V, 186: *ditibus indulgent epulis vacuantque profundo*
Aurum immane mero;

190: *nec non, manus impia, nuptae*
Serta inter festasque dapes quo maxima cultu
Quaeque iacent.

Gorge temeraria Lemnias Elymum interfecit

V, 208: *evinctum ramis altaque in mole tapetum*
Efflantem somno crescentia vina.

Thebani ebrii II, 75: *effusi per tecta, per agros*
Serta inter vacuosque mero crateras anhelum
Proflabant sub luce deum.

§ 25. *De nuptiis.*

Multis rebus nuptiarum ritus Romanorum et Graecorum consentiunt; attamen illis propriae quaedam consuetudines erant, quas accurate Statius servavit.

Quatenus de **dote** hi duo populi differant, notum est. Homeri aetate sponsus dote quasi emere sponsam solebat; apud Romanos autem dos marito dabatur a muliere aut eius patre. Quamobrem Polynices, qui regii soceri successor designatus est, dicitur Argos dotem accipere:

II, 111: *Dant animos socer augurio fatalis Adrastus*
Dotalesque Argi.

Eteocles Tydeum hoc iubet Polynici responsum referre:

II, 430: *Te penes Inachiae dotalis regia dono*
Coniugis.

Quae praeterea de nuptiis ipsis ex Thebaide cognoscimus, omnia sine dubio a sui populi ritibus poeta mutuatus est. Omitto praemissas faces (*festum nubentibus ignem* II, 259), quibus virgo deducebatur in domum mariti. Ipso nuptiarum die domus sertis ornabantur et deis hostia vel ture sacrificabatur. Hoc utrumque coniunctum habemus et

II, 246: *Hi fibris animaque litant, hi caespite nudo,*
. . . merentur
Ture deos fractisque obtendunt limina silvis;

et Ov. met. IV, 758: Largis satiantur odoribus ignes
Sertaque dependent tectis.

Destinata uxor caput obnubebat **flammeo**, i. e. velo luteo; hoc nominat Argia

II, 341: *Crudus amor necdum post flammea toti*
Intepuere tori. Cf. croceum subtegmen Val. Fl. VIII, 234.

Sic velata cum sponso accedebat ad aram templi, ubi sollemnia nuptiarum celebrari solita esse iam scholia notant ad

II, 299: *Aras*
Ante omnes epulasque trucem secreta coquebat
Invidiam. Cf. Val. Fl. VIII, 243:
Inde ubi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Aesonides unaque adeunt pariterque precari
Incipiunt.

II, 251: *Innuptam limine adibant*
Pallada Ib. 256.

Ante deductionem moris fuisse videtur, ut matronae paventem virginem iuberent bene sperare et fortasse quaedam praeciperent; inde

II, 227: *Casta matres cinxere corona*
Argolides, pars virginibus circum undique fusae
Foedera conciliant nova solanturque timorem.

Lectionem ‚matres' praeferendam arbitror esse alteri ‚matrem'; non enim video, quid matrem nuptarum hic virgines cingant. Haud scio an melius v. 227 vox coronae vera corona sit interpretanda; tum sensus est: matres ornaverunt corona casta (i. e. florum castorum) Argolides sc. virgines. Constat enim ex Festi ep. p. 63: corollam novam nuptam de floribus verbenis herbisque a se lectis tulisse. Imitatus est hunc locum Claudian. rapt. Pros. II, 322 sqq., qui saepenumero Romanum morem carmini suo intexuit:

Reginam casto cinxerunt agmine matres
Elysiae, teneroque levant sermone timores.

Novarum nuptarum in usu fuisse Minervae sacrum facere eique capilli partem dedicare, docent vv.

II, 253: *Huic* [Palladi] *more parentum*
Iasides, thalamis ubi casta adolesceret aetas
Virgineas libare comas primosque solebant
Excusare toros.

Ceterum hic crinem deo alicui pascendi mos postea nobis occurret.

§ 26. *De vestitu.*

De corporis habitu, qualis in his carminibus apparet, duae tantum res mihi praesto sunt, unde cognoscas, sui populi mores poetae ob oculos esse versatos. Una est de capillo, altera de manicis.

Romanos, ex quo cum Germanis habebant commercium, flavos crines constat adamasse. Idcirco Statius si quem ante omnes pulchritudine excellentem vult fingere, huius coloris **capillos** ei tribuit. Pallas Phoebique soror II, 238 flavum habent in vertice nodum; Atalantae crinis flavus IV, 314 noto spargitur; Achillis *fulvo nitet coma gratior auro* (A. I, 162; 771) et mater ei ut pulcherrimum redderet,

ib. 611: *cinxit purpureis flaventia tempora vittis.*

At ξανθοὶ saepe iam apud Homerum viri appellantur, quippe cum ex antiquissimis temporibus flavus color ob raritatem venustatem augere putaretur.

Omnium populorum antiquorum in usu erat, **deis capillos dedicare** (Friedreich, Real. p. 439). Romani sub imperatoribus puerorum primos crines barbamque deo alicui vovere et pascere et demum adolescentibus tondere solebant. Diem depositionis barbae festum agebant (v. silv. III, 4). Secundum hunc usum Lycurgus Archemori filii se comam vovisse dicit

VI, 183: *Iuppiter, hunc crinem voti reus ante dicaram,*
Si pariter virides nati libare dedisses
Ad tua templa genas.

Parthenopaeus adolescens in certamine currens ab Ida crinibus correptis retinetur; namque eius

VI, 585: *flavus ab intonso pendebat vertice crinis;*
. . hoc primis Triviae pascebat ab annis
Munus et, Ogygio victor cum Marte redisset,
Nequiquam patriis audax promiserat aris.

Quare deam ante certamen iteratum sic adorat:

VI, 611: *Diva potens nemorum (tibi enim hic tibi crinis honori*
Debitus eque tuo venit haec iniuria voto).

Etiam Parthenopaei sunt

IX, 703: *nondum mutata roseae lanugine malae.*

Flavus Hypanis flavusque Polites

VIII, 492: *ille genas Phoebo, crinem hic pascebat Iaccho.*

Quo fit, ut crines intonsi significandae primae florentissimaeque adolescentiae inserviant. Butes Aetolus est

VIII, 486: *puer malasque comamque*
Integer.

IX, 306 intonsum videmus Hersen et Achilles ut adolescens A. I, 629 promissas comas fert; ad quem vers. v. Laet. adnot.

Tunicis manicatis ex testimonio Gellii n. A. VII, 12 apud Romanos non nisi homines molles et effeminati utebantur. Aetati Homericae vero prorsus incognitae sunt. In Thebaide duo viri, quibus mollem ac muliebrem habitum attribuere poeta vult, manicas ferunt. Prior est Atys Delphicus (VIII, 567), alter Eunaeus sacerdos (VII, 657). Hic Bacchi instar praeterea calceos pictos pallamque amplissimam (‚*sinus carbaseos*') habet.

§ 27. *De luctu.*

His quae modo dixi de habitu corporis, optime puto habitum lugentium me posse adiungere. Multa luctus signa iam antiquissimis temporibus usitata Graecis cum Romanis sunt communia. Lugentes solitos esse pectora plangere genasque dilacerare, caput pulvere vel cinere conspergere, etiam atra veste uti iam ex Homero novimus. Sed neminem apud eum invenimus, qui **vestem scindat**; haec ergo luctum ostentandi ratio postea videtur in consuetudinem venisse. Saepe autem memoratur apud Romanos; in Thebaide bis:

III, 125: *Stat sanguineo discissus amictu*
Luctus atrox;
et IX, 354: *Oraque pectoraque et viridem scidit horrida vestem.*

Omnis etiam ab lugentibus **ornatus ponebatur**; quapropter Lycurgus lugens

VI, 30: *sedet ipse exutus honoro*
Vittarum nexu;

et de Baccho dicitur:

VII, 149: *Non crines, non serta loco dextramque reliquit*
Thyrsus et intactae ceciderunt cornibus uvae.

Postea cum Juppiter eum consolatus esset,

222: *mentemque habitumque recepit.*

Idem faciunt Fauni serpentem occisum dolentes:

V, 582: *lucosque per omnes*
Silvicolae fracta gemuistis harundine, Fauni.

V. Lact. notam ad hunc v.: Canna et ferula coronantur Fauni; haec ornamenta sua hos comminuisse commemorat more lugentium. De versis insignibus v. infra.

§ 28. *De funeribus.*

A luctu ultro traducimur ad funera. Horum ritus qualis cum alibi tum libro sexto Thebaidos in sepultura Archemori comparet, maxime conspirantem consensum habet cum Romanis. Si forte hic vel illic cum graecorum ritu congruit, id persuadere nobis possumus, nihil nisi patrium morem poetam respexisse, praesertim cum ne una quidem proprie Graeca legatur consuetudo. Vel Barthius ad VI, 54 confitetur, prorsus ad Romanum morem cani et enarrari.

Simulac quis apud Romanos in eo est, ut moriatur, cognati extremum eius **spiritum excipiunt** complectentes et exosculantes. Eum morem habemus significatum

II, 641: *Hos tibi complexus, haec dent, ait, oscula nati!*

Filios interfectos aspiciens Ide exclamat:

III, 151: *Hosne ego complexus, genitrix, haec oscula, nati*
Vestra tuor?
V, 594: [Hypsipile] *ingeminat misera oscula tantum*
Incumbens animaeque fugam per membra tepentem
Quaerit hians.

Parthenopaeus moriens lamentatur, quod mater non prope esset,

IX, 899: *quae vultus efflantiaque ora teneret.*

Argia XII, 318: *corpore toto*
Sternitur in vultus animumque per oscula quaerit
Absentem.

Eadem cum Antigona ignem quaerit XII, 714: *post ultima oscula.* Hos complexus sequitur probatio, num vere sit mortuus:

IX, 880: *Aegraque per trepidos exspirat gratia vultus*
Et prensis concussa comis ter colla quaterque
Stare negant.

Ibi Lact.: Morituris solent erigere capita, comas concutiendo sive vellendo quasi revocent illis sensum.

Deinde oculi operiuntur vel clauduntur:

III, 154: *Quae prius ora premam?*
VIII, 651: *Tunc quia nec genitrix iuxta positusque beata*
Morte pater, sponsae munus miserabile tradunt
Declinare genas.

Ora autem et genas saepe pro oculis poni docent IV, 542; XI, 504 (*os effossum*); 696 et II, 232 (*deiectae genae*); VIII, 436.

Harum actionum utramque comitabatur **conclamatio**, quae etiam mera lamentatio erat, plangorque sequebatur, tum concussio capitis, ut anima fortasse in corpore delitescens ad vitam revocaretur. Ideo Serv. ad Aen. VI, 218: Mortui per intervalla con-

clamantur, quod solet plerumque vitalis spiritus exclusus putari et homines fallere. Ita conclamatur Archemorus

VI, 27: *Iam plangore viae, gemitu iam regia mugit*
Flebilis;

et Atys VIII, 653: *Ibi demum teste remoto*
Passa pios gemitus lacrimasque in lumina fudit.

Post haec mortui corpus aqua calida lavatur et ungitur; eius moris unum habeo indicium

XII, 411: [Ad Ismenum] *laceros artus socio conamine portant:*
Sic Hyperionium tepido Phaethonta sorores
Fumantem lavere Pado.

416: *Ut sanies purgata vado membrisque reversus*
Mortis honos . .

Sic praeparatum **corpus componitur lecto**. Eum construendi rationem accuratissime describit poeta VI, 54 sqq. Lectum ipsum et feretrum inde videmus textum fuisse (ut V. Aen. XI, 645) ex tristibus ramis (quales sunt taxi, piceae) et cupresso, quae et ipsa feralis erat arbor. Tenera autem cupressus sumitur, quia Archemorus non erat multorum annorum infans. Torus ex quattuor gradibus sive ordinibus constitit: Ima sunt *stramina* (cf. Verg. Aen. XI, 67 et Sil. It. X, 561:

Sublimem eduxere pyram mollesque virenti
Stramine composuere toros);

super his *serta graminea* et *flores congesti picturati*, quales Romani in funeribus spargebant (= purpurei V. Aen. V, 79; VI, 884). Tertium ordinem effecerunt odores pretiosi, summum vestes purpureae, auro gemmisque ornatae, quibus corpus mortui tegi dicunt Liv. XXXIV, 7 et Cic. legg. 23.

Graecus notus erat mos corpus ipsum coronis ornandi; eius autem nusquam in Thebaide reperio vestigium. Contra in vase Apulo quod depictum est apud Guhl & Koner, Leben der Gr. & R. p. 379 — Hypsipilam videmus huius Archemori mortui caput Graeco more coronantem. Menoeceus autem morti devotus, qui erat

XII, 65: *pacifera lauro crinem vittisque decorus,*

praedicatur ornatus esse tanquam esset victor.

Lecto compositum cadaver per **pompam funebrem** ad sepulcrum fertur. Praeeunt siticines tubis aut tibiis canentes. Serv. ad Aen. V, 139 distinguit usum tubae et tibiae, cum dicit: Sciendum maioris aetatis funera ad tubam solere proferri, minoris vero ad tibias, et documento affert:

VI, 113: *Signum luctus grave mugit adunco*
Tibia, cui teneros suetum producere Manes
Lege Phrygum maesta.

(Illum apparet ad hos vv. a Lactantio exscriptum esse, quippe qui eandem faciat distinctionem). Quod litui infra vv. 227 commemorantur, demonstrare videtur illos vv. originem accepisse ab interpolatore, qui illum morem Romanum non noverat, ac iure reici a Kohlmanno. Siticines ex gravi *modo Phrygio* carmen cecinisse per anachronismum poeta narrat, quem Pelopem monstrasse ferebant.

Hos subsequebantur **praeficae** lamentantes; quas, quamquam non nominatae sunt, tamen funeri patet interfuisse ex

VI, 34: *Asperior contra planctusque egressa viriles*
Extemplo famulas premit hortaturque volentes
Orba parens;

et ib. 123: *Ipse fero clamore torus;*

maxime autem ex

204: *Quater mollem famularum bracchia planctum* [pepulere].

Post eas portantur lancibus sacrificia mortuo offerenda i. e. **munera feralia, et tituli**, quibus, ut gloss. notat, nomina stirpesque et laudes honoresque eorum inscripta erant, qui ferebant. Videtur Statius morem anteferendi in funeribus ducum titulos nominibus victarum nationum inscriptos — quippe cum Archemori pueri nondum potuisset ullas res gestas celebrare — transtulisse ad singulos duces funus prosequentes eosque sua ipsorum nomina finxisse portantes, ne splendor funeris his omissis deminueretur.

VI, 119: *Portant inferias arsuraque fercula primi*
Graiorum titulisque pios testantur honores
Gentis quisque suae. Ceterum cf. X, 712.

His titulis commixtas vel applicatas poetam suspicor animo cogitasse **maiorum imagines**, quo etiam illud ‚longo post tempore‘ palam monstrat (v. 121). Eae enim ad pompam ex atriis promebantur. Hoc loco quidem Statius eas nondum commemorat; sed si postea ante ludos praesentes describuntur, cur non iam in ipsis exequiis eas putaveris esse ductas?

VI, 246: *Exin magnanimum series antiqua parentum*
Invehitur, miris in vultum animata figuris.
Primus anhelantem duro Tirynthius angens
Pectoris attritu sua frangit in ora leonem.
Haud illum impavidi, quamvis et in aere suumque
Inachidae videre decus cet.

ib. 272: *Mille dehinc species.*

At primum hic miretur aliquis, quod non cereae fuerint hae imagines, sed ahenae (v. 250), nisi Plinius (h. n. 35, 4) proderet pro cereatis argenteas et aeneas sub imperatoribus in usum venisse. Cf. supra. (Tamen de cereis loquitur poeta in comparatione A. I, 332 sq.). — Tum mirum videtur, quomodo in his personis omnes illae res gestae, quae de singulis viris narrantur, potuerint esse expressae, veluti Hercules leonem interficiens. Non credo equidem revera haec clipeis fuisse insculpta, — etsi ex Cass. Dion. LVI, 34, 3 notum est imperatorum rerum gestarum simulacra in exequiis praelata esse — sed poetam potius arbitror singulos maiores voluisse celebrare gestas eorum res pluribus verbis enarrando. — Et ludis hinc testatum est imagines interfuisse, sicut teste Polyb. VI, 53, 9 in laudatione circum rostra sedebant.

Ex ordine pompae post imagines corpus efferebatur **feretro**, ut imperatorum Romanorum a magistratibus et senatoribus, ita huius regis filioli a primoribus exercitus eisque iuvenibus. Itaque torus surgit

VI, 122: *colla super iuvenum, (numero dux legerat omni).*

IX, 100: *Ne non maerentibus Argos*
Exequiis lacrimandus eat mollique feretro.

Mortuum prosequuntur cognati et propinqui plangentes (VI, 128—170) ac vel deos increpantes, quod se caris suis orbassent:

VI, 123: *Cinxere Lycurgum*
Lernaei proceres, genetricem mollior ambit
Turba, nec Hysipyle raro subit agmine; vallant
Jnachidae memores, sustentant livida nati
Bracchia et inventae concedunt plangere matri.

In funere Niobidarum

III, 196: *primaevique senesque et longo examine matres*
I n v i d i a m p l a n x e r e d e i s. Cf. silv. III, 5, 41 sq. V, 1, 22.

Priusquam funebris pompa ad locum sepulturae advenit, ibi iam duae **pyrae** erant exstructae. Quae ad has exstruendas apud Romanos praeparabantur quaeque arbores caedebantur, vv. VI, 79—110 copiose describuntur. At Menoeceo, qui solito magis honorandus erat,

XII, 61: *non robora vilem*
Struxerunt de more rogum sed bellicus agger
Curribus et clipeis Graiorumque omnibus armis
Sternitur. De sepulcris talibus hostium exuviis ornatis v. Lact. ad h. l.: Exuviis hostium exstrue-

batur regibus mortuis pyra, quem ritum sepulturae hodie quoque barbari servare dicuntur, quem s t r a b a s dicunt lingua sua. Eius strabae exemplum vid. ap. Jordanem Get. 257.

Pyrae autem habebant formam arae, quamobrem saepe vel arae vocantur (Serv. ad Aen. VI, 177), ut

VI, 111: *Iamque pari cumulo geminas hanc tristibus umbris,*
Ast illam superis aequus labor auxerat aras.

Duae cur pyrae sint erectae quaerenti mihi succurrit

ib. 81: *cumulare pyram, quae crimina caesi*
Anguis et infausti cremet atra piacula belli.

Una igitur nimirum ad comburendum corpus exanime, altera ad piaculum belli et serpentis destinata erat. Quod iam Lact. aliique schol. confirmant. Crebro rogi circumdabantur cupressis, ut in sacro magico

IV, 460: [Arae] *frontes atque omne cupressus*
Intexit plorata latus.

Deinde lectus cum cadavere rogo imponitur. Imposito Lycurgus rex antiquam consuetudinem secutus crinem sibi decisum offert simul regni ornamenta addens:

VI, 178: *At genitor sceptrique decus cultusque Tonantis*
Inicit ipse rogis, tergoque et pectore fusam
Caesariem ferro minuit sectisque iacentis
Obnubit tenuia ora comis.

Tum cognati averso vultu rogum incendunt:

ib. 187: *Iam face subiecta primis in frondibus ignis.*

Defuncto Romanorum more tradebantur omnia quae in vita cara habuerat, velut vestis, arma, ornamenta aut pueris oblectamenta. Domi iam haec rex filio imposuerat

VI, 67: *Arma etiam et veterum exuvias circumdat avorum.*

ib. 73: *Muneraque in cineres annis graviora feruntur*
(Namque illi et pharetras brevioraque tela dicarat
Festinus voti pater insontesque sagittas;
Iam tunc et nota stabuli de gente probatos
In nomen pascebat equos) cinctusque sonantes
Armaque maiores expectatura lacertos.

Hypsipyle narrat: V. etiam vv. V. 314 sqq. infra allatos.

Prosequentes suffimentum aliaque suprema munera addunt:

VI, 191: *Ditantur flammae . . . . mella*
Spumantesque mero paterae verguntur et atri
Sanguinis et rapti gratissima cymbia lactis.

Ad hunc locum spectat Serv. ad Aen. VI, 225: ‚Diis superis tantum libabant, inferis vero sacrificantes etiam vasa (= pateras) in ignem mittebant. Quod etiam Statius in Archemori sepultura commemorat.' Idem faciunt in fine sepulturae post decursionem

VI, 209: *Raptumque suis libamen ab armis*
Quisque iacit, seu frena libet seu cingula flammis
Mergere seu iaculum, summae seu cassidis umbram

De muneribus cf. silv. II, 1, 157 sqq. Val. Fl. III, 312.

Quia parentibus Romanis nefas esse putabatur, liberorum mortem videre, qua mortalitatis ordo turbaretur, Danai

VI, 189: *obtentis eminus armis*
Prospectu visus interclusere nefasto.

Serv. ad Aen. X, 519 refert: ‚Sane mos erat in sepulcris virorum fortium captivos necari. Quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui a bustis bustiarii dicti sunt.' Ergo non ex Homero deducendum est, si in funere Menoecei

XII, 68: *spirantes super inferias captiva Pelasgum*
Corpora frenatosque pater, solacia forti
Bellorum, mactabat equos.

Interea iam milites se comparaverunt ad **decursionem funebrem**, qualis in funeribus magnorum ducum, praecipue imperatorum erat usitata. De qua v. Tac. ann. II, 7. Val. Fl. III, 347 et imaginem in columna Antonini Pii.

Decursum autem esse sinistro ordine, indicat

VI, 199: *turmas versis ducunt insignibus ipsi*
Graiugenae reges, lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum
Ter curvos egere sinus, inlisaque telis
Tela sonant, quater horrendum pepulere fragorem
Arma, quater mollem famularum bracchia planctum.

Sinistro orbe equitant, quia cursus in laevam luctus vel omnino rei infaustae erat indicium; contra cursus equorum in dextram gratulationem ac laetitiam denotabat; itaque confestim

ib. 206: *luctus abolere novique*
Funeris auspicium vates . . iubet:
. . dextri gyro et vibrantibus hastis
Hac redeunt. Cf. Kirchm. de fun. Rom. p. 327.

Hinc milites fictam pugnam pugnasse eorumque telorum sonis praeficarum planctus videmus respondisse. Longe ab ea differt decursio, quam Homerus memorat; haec enim sine dubio nihil erat nisi circumitio rogi. Ad *versa insignia* v. Serv. ad Aen. XI, 93: Lugentium more mucronem hastae, non cuspidem contra terram tenentes. Et scuta invertebant.' Versi fasces sunt in funere Germanici ap. Tac. ann. III, 2 (ubi vid. interpret.). Hodie quoque in funeribus militaribus suprema mortuo salutatio fit vexillis demissis.

Rogo exusto prunae aqua sive vino restinguebantur et ossa legebantur:

VI, 212: *Finis erat lassusque putres iam Mulciber ibat*
In cineres; instant flammis multoque soporant
Imbre rogum.

Locus in quo mortuus combustus et sepultus est, **bustum** appellabatur. Id erat tumulus, sub quo urna cum cinere condita est. Hoc habes

XII, 60: *At non plebeio fumare Menoecea busto*
Rex genitor Thebaeque sinunt. et VI, 2 et 126.

Super hoc bustum templum aedificatur (VI, 220 sqq.); quod simulacris ad mortuum attinentibus exornatur. Etiamsi id sepulcri genus haud raro etiam apud Graecos invenitur, tamen certe ab heroica aetate abhorret:

Stat saxea moles,
Templum ingens, cineri, rerumque effictus in illa
Ordo docet casus.

Cf. contra multo simpliciorem illum Archemori sive Opheltis tumulum, quem Pausanias se vidisse narrat II, 15, 3.

Eis, qui procul a patria ceciderant neque ob eam causam domi poterant sepeliri, inane bustum sive **cenotaphium** erigebatur. His cenotaphiis, quae multa adhuc extant, nomina defunctorum inscribebantur. Qualia ut viris suis exstruant, Ornytus suadet feminis Argivis

XII, 161: [Quin] *nomina, quod superest, vacuis datis orba sepulcris*
Absentesque animas ad inania busta vocatis.

Inter cremationem et sepulturam apud Romanos novem dierum luctuosorum spatium intererat, quod **novemdial** vocabatur. Nono demum die sacrum fiebat et in funeribus nobiliorum ludi celebrabantur, quos dicebant novendiales. Hunc morem promas

ex VI, 216: *Roscida iam novies caelo demiserat astra* [Lucifer]
227: *Iamque avidum pugnas visendi vulgus . . adsunt.*

Parentalium Romanorum denique monet institutio Adrasti, ut tertio quoque anno in honorem Archemori ludi et feralia instaurentur:

VII, 93: *Da, parve tuum trieteride multa*
Instaurare diem.

§ 29. De ludis.

Quamquam Statius ipse ludos VI, 5 morem Graium dicit esse, vel quod in nonum post combustionem corporis diem constituti sunt, monemur, minus eum Homericos quam Romanos ludos vidisse. Quod igitur J. Scaliger censet, Statium repetere certamina Homerica non sine minus accurata aut inepta multorum adiectione, ei pari iure opponi potest, Statium nihil nisi ludos, qui tam saepe Romae in circo spectati sint, descripsisse. Idcirco recte Weberus adnotavit: ‚in descriptione ludorum Statium agonem aliquem sui aevi cum adulatione Domitiani respexisse'. E ludis in exequiis Patrocli apparatis a Romanis minus exercitatum hastarum iactum et pugnam omisit, contra gladiorum certaminis, quod gladiatores exercebant, initium certe addidit. VI, 886 enim quidam voluerunt *nudo concurrere ferro;* ea autem re **gladiatorios ludos** a poeta significatos esse J. Lipsius, Saturnal. I, 8 animadvertit his verbis: ‚Et Statius Papinius extremo lib. VI. inter certamina ludosque Argolicos etiam gladiatorios tentatos posuit idque prisco illo nescio an satis caute aevo'. Quam sententiam mirari se non satis posse confirmat Barthius, quia nimis tempora confunderentur, neque inde de vetustate gladiatorum concludere licere. Quid quod hoc ipsum efficit, ut illi credamus? Nonne etiam de gladiatoriis monet VIII, 26 illud ‚*eodem pollice damnant*'? (De more pollicis premendi et vertendi v. Hor. ep. I, 18, 66 et Juv. III, 36). Prorsus ego quidem non in animo habeo infitiari, Statium certaminum Homericorum memorem fuisse, potius non potuit non reminisci, sed accuratius perspicienti luce clarius fiet, quantopere omnibus numeris, cum universa tum singula, inprimis ludos circenses sit imitatus. Anachronismus autem hic facile inde excusatur, quod Romanus homo nimium ludos amabat neque ullam sibi urbem sine circo poterat fingere. Cf. quod Lersch, antt. p. 32 disserit de Verg. Aen. I, 427.

Ac primum quidem locus, in quo ludi celebrantur, **circus** est Oenomai, situs in valle cinctusque viridi corona, ergo similis circo maximo:

VI, 232: *Non unquam Oenomai fremuerunt agmina circo.*
Ib. 471. 540. 598. 680. 692. 907.

Etiamsi in universum poeta circo speciem ex tempore facti atque modice arte instructi dedit, tamen singulas iusti circi partes agnoscimus.

Spectatores **sedes** habent:
240: *Illic conferti . . bellatrix sedere cohors.*
427: *Omniaque excussa patuere sedilia vulgo.*

Qui curru certant, post **carceres** statuuntur, e quibus per portas emittuntur.
376: *Impulsi nequeunt obsistere postes*
Claustraque.

Eodem redeunt:
595: *Longe primus ferit ostia portae.*
Vel Barth. h. l. concedit, ea ‚ad circum Romanum effigiata esse.'
619: *Irrumpit clamore fores.*

Quid fuerit **limen** saepius commemoratum, interpretandum ex Cassiod. var. III, 41: Alba linea non longe ab ostiis in utrumque podium quasi regula directa producitur: uti quadrigis progredientibus inde certamen oriretur.
404: *Iam illinc a limine discors*
Iratusque . . ardet.
571: *Ruit atque aequum submisit regula limen.*
Funis enim cretatus (alba linea) initio certaminis submittebatur.
593: *Iam finem iuxta, dum limina victor*
Parthenopaeus init, correpto crine reductum
Occupat.
Finem autem idem esse quod carcerum limen docet Verg. Aen. V, 139.
367: *Et iam sortitus Prothous versarat aena*
Casside iamque locus cuique est et liminis ordo.
Hi vv. etiam confirmant, quod Marq. l. l. VI, 513[1] ex Tert. de spect. 16 et Ap. Sid. carm. 23, 16 suspicatur, in certamine curruum loca sorti esse permissa.

In medio circo Romano duae **metae** constitutae erant, quae et initium et finem spatii pervehendi significarent. In his poeta antiquorum temporum simplicitatem retinuit:
329: *Metarum instar erat hic nudo robore quercus.*
Eandem v. 418.

Primum **certamen** est **curruum**. In hoc cum heroes Homeri bigis utantur, Statius Romanorum usum **quadrigarum** eo transtulit:
347: *Aspicit atque illic ingens certaminis instar*
Quadriiugi.
Iniuria Barth. dubitat, an constans sibi fuerit poeta, cum infra v. 439

tres tantum Admeti equos nominibus appellet. Namque non nisi clariorum equorum nomina manifestum est eum attulisse, quippe cum duos Amphiarai, singulos aliorum nominet.

Quattuor illi equi curru ita iungebantur, ut duo interiores sub iugo currerent, exteriores fune currum veherent, unde funales vocabantur: Arion erectus

480: *Stat sociumque iugi comitesque utrimque laboris*
Secum alte suspendit equos.

Quod Salmasius coniecerat: ‚comitemque utrique', quia trigis, non quadrigis Argivi contenderint, non amplius arbitror opus esse refutare.

Signum certaminis incundi mappa in circum iniecta datum esse dicit Marq. l. l. VI, p. 512. Sed ex Plin. ep. II, 7 et Sid. Apoll. 23, 340 sqq. iam concludendum, et tubae sonum adhibitum esse. V. etiam Verg. Aen. V. 113, ubi Servius: ‚Romano more (tuba ludos commissos canit); sicut hodieque videmus omnibus ludis funeribus.' Hoc confirmatur

382: *Insonuit contra Tyrrhenum murmur et omnes*
Exiluere loco.

In Homero semel campus pervehitur, apud Romanos vero septies. Ac profecto

432: *rursus praecipites in recta ac devia campi*
Obliquant tenduntque vias,

et 447: *iam pulvere quarto*
Campum ineunt,

diutiusque etiam currunt, ita ut minime dubium sit, quin de Romanorum etiam hic consuetudine poeta cogitaverit.

Quod ad **cursus certamen** attinet, in numero cursorum ab Homero Statius recedit; apud illum enim tres contendunt, in Thebaide (VI, 533 sqq.) magna multitudo.

Disci pugnae descriptionem e circo Romano depromptam esse, docet, quod tanta subtilitate composita est, ut ex hoc uno loco VI, 648 sqq. discum iaciendi rationem singillatim possimus colligere. Moris fuisse ut locus, ubi discus iactus terram tangit, sagitta signaretur, Lact. notat ad

v. 681: *Fit sonus et fixa signatur terra sagitta;* cf. 691.

Pugiles laneos pentadactylos habebant sub caestibus, qui eminebant supra bracchia, (Lact.); unde

761: *Summo maculas in vellere vidit.*

Caestus ipsi tuberibus plumbeis praediti erant, quae apud Homerum nondum reperiuntur:

707: *Nigrantia plumbo*
Tegmina crudo boum . . induitur.

In **luctatione** denique posterior illa ratio retenta est, qua pugna in humo non intermittebatur (Sen. de benef. V, 3), cum Homeri luctatores semel in humum se prosternere studeant. Quod vide 853 et 873. Mos ille, quo

824: *madidos artus alterno pulvere siccant,*

apud Romanos frequentissimus erat.

Cum omnia haec, quae attuli, mirum in modum consentiant cum usu ludorum Romanorum, neminem iam spero fore, qui dubitet, quin ex his fuerint decerpta.

Altera pars.

Transeo ad alteram disputationis partem, qua perpaucis verbis de anachronismo, ut ita dicam, historico et geographico disseram. Hunc voco eum, quo poeta res modo historicas modo geographicas, quae secundum ordinem temporum post Thebanum demum bellum aut ortae aut factae sunt, quae igitur tempore illius belli nemini iam notae potuerunt esse, in carmine tanquam factas supponit. Velut in epiphonemate X, 445 sqq. — quo Statius Verg. Aen. 446 sqq. imitatus est — cum Hopleus et Dymas occisi his verbis laudantur:

447: *Forsitan et comites non aspernabitur umbras*
Euryalus Phrygiique admittet gloria Nisi,

in errorem poeta incidit, quippe cum Euryalus et Nisus, quorum mortem communem Verg. Aen. IX, 176 sqq. describit, tum nondum ad inferos descendissent.

Anachronismum quodam modo continet IV, 48, ubi in bellum proficiscitur *Lacedaemonium Thyrea lectura cruorem.*

Respicitur hic pugna Lacedaemoniorum et Argivorum anno a. Chr. n. 669, in qua illi praeter unum omnes ceciderunt.

Ludis Olympicis et Isthmiis ea amplitudo, quam apud Statium variis locis habere videntur (VII, 94 sqq. A. I, 415), memoria demum historicorum fide contestata fuit; nam illi usque ad Olymp. XIV. ex cursu simplici constabant. VII, 97 vocabulum ‚*pinigerum*' monstrat

Isthmiorum praemium coronae pineae; haec autem pro apiacea corona post Corinthum demum deletam victoribus dabatur.

Dryopes IV, 122 in Peloponneso habitant, quo multo post cum Doris venerunt.

Urbes, in quibus Juno inprimis colebatur, I, 261 sq. praeter Argos appellantur Samos et Mycenae et Sparta. Homerus autem Il. IV, 71 Argos, Spartam, Mycenas novit, Samum omittit. Ac profecto Sami Ἡραῖα posteriore tempore celebrabantur clarissimumque illud Junonis templum teste Herod. III, 60 a Rhoeco architecto circiter Ol. XXXV. aedificari coeptum sub Polycrate perfectum est.

Multae potissimum fabulae, quae post Homerum increbuerunt, nobis occurrunt. Sic fabula de raptu Proserpinae (VIII, 61 saep.), quae coetibus functis assumptum *furvo poste notat* (VIII, 10); de Achille a matre in Stygem demerso (A. I, 134 et alib.); de Jove ac Leda (X, 503 saep.); de Hero ac Leandro (VI, 520 sqq.), qui chlamydi Admeti intexti sunt.

Complures personae carminis scientiam miram prae se ferunt quorundam dogmatum philosophorum postea florentium. Amphiaraus deliberans, unde alitibus sit cognitio rerum futurarum, causam profert,

III, 485: *quia mutatae nostraque ab origine versis*
Corporibus subiere notos.

Nonne haec est transitio et mutatio animarum, quam Pythagoras docebat? Id iam Lact. cognovit, sed falso Epicureis hoc decretum tribuit. Eandem doctrinam Juppiter sibi vindicat, cum dicit

VII, 205: *Meaque est iactura pigetque*
Tot mutare animas, tot reddere corpora vitae.

Verba Capanei

III, 459: *Miseret superum, si carmina curae*
Humanaeque preces!

tota secundum Epicurum esse dicta, Lact. adnotat, testes afferens Lucretium (II, 646) et Vergilium (Aen. IV, 379). Et revera illum philosophum constat docuisse non curare deos res humanas.

Nonnullae de rebus naturalibus quoque cogitationes leguntur ab antiquissima illa ac pia aetate prorsus alienae. De talibus disceptationibus canens Apollo

VI, 338: *Aperit, quis fulmen agat, quis sidera ducat*
Spiritus, unde animi fluviis, quae pabula ventis,
Quo fonte immensum vivat mare, quae via soles
Praecipitet, noctem quae porrigat, imane tellus
An media et rursus mundo succincta latenti.

De origine fulgurum quidam investigantes reppererunt ex collisione atque attritu nubium ea generari; hanc rationem secutus Statius dicit:

X, 924: *Fulguraque attritis . . . miscuere procellis.*

De multis rebus geographicis saepe non facile est ad decernere Romanum merum cognoscas ex portu Hibero (I, 158), ex Getis et Bistonibus (III, 221; Geticus Haemus [I, 275] semper a Graecis Thracicus appellabatur); ex Gange (I, 686, saep.); ex Gelonis (II, 421; A. II, 133), quos vel Hor. carm. II, 20, 19 ultimos vocat. Sine dubio Piraeus portus (XII, 616) et Munychia cum templo Palladis (II, 252) per anachronismum carmini intexta sunt. Megarae urbis in Homero nusquam mentio fit; Nisus ibi multo post Oedipi tempora regnasse perhibetur. Tamen Polynicem I, 334 per *Scyllaea rura purpureo regnata seni* videmus proficisci itemque Tydeum II, 382 Nisum (i. e. Megaram) praetervectum.

Postremo ad controversiam de vv.

IV, 126: *Nondum nota Pylos iuvenisque aetate secunda*
Nestor, et ire tamen peritura in castra negavit;

et V, 751: *Nam deus iste, deus, Pyliae nec fata senectae*
Maluerit Phrygiis aut degere longius annis,

complura verba facere mihi liceat.

O. Muellerus enim priores illos vv. alienos ducit et uncis includit, quippe cum, ut opinor -- prolegomena nondum edita esse summopere doleo — discrepent cum V, 751. At res aliter se habet.

Nestor bello Troiano exeunte tertiam aetatem i. e. fere septuagesimum annum agebat (Il. ', 252). Certe vero etiam heroes illius belli et ipsos mediam gravioremque aetatem agentes nobis fingimus; veluti Agamemnona et Diomedem. Huius autem pater, Tydeus, qui Polynicis fere aequalis est, Agamemnonem non potest meminisse (Il. IV, 374 sq.); ergo eum necesse est minimum triginta annis ante mortem obiisse. Sequitur, Nestorem tempore belli Thebani circiter triginta vel quadraginta annos natum fuisse i. e. *iuvenem aetate secunda.*

IV, 126 igitur Nestoris aetas est recte constituta. Contra V, 751 anachronismus sine dubio est, qui poetae ideo est elapsus, quod tum temporis senectus Nestoris non minus quam Tithoni in proverbium abierat, ut silv. I, 4, 125; II, 2, 108; III, 4, 104 demonstrant. Et Tithonus (a quo V, 752 *Phrygii anni* appellati), filius Laomedontis, Priami frater, tempore expeditionis Thebanae non multo maior erat natu quam Nestor, — quare fabula de senectute Tithoni nondum in

Homero scripta est, sed demum in hymno in Ven. 219 sqq. — ita ut hic quoque *ἀναχρονιστικῶς* ostendatur. Ceterum res nihil mutatur, si quis Phrygios annos Priami velit interpretari, quod quidem ubique admitti potest.

Inde apparet, si quis alterum locum interpolatum iudicet, eum potius auctore Bentleio cogi V, 751 eicere. Quod qui faceret, omni, opinor, orationem Amphiarai privaret exitu et concinnitate.

Ut ibi Pylia senecta et Phrygii anni quasi proverbii loco generatimque posita sunt, — Germanice: ‚ein Nestorsalter' — ita etiam VII, 776 Creontis imperia: ‚ein Creonsbefehl.' Apollo enim ibi Amphiaraum monet:

[Ad inferos] *cade, diu populis promissa voluptas*
Elysiis, certe non perpessure Creontis
Imperia.

Pariter hoc per anachronismum dictum, quod Creon demum X, 94 Argivos vetat sepeliri. Sane quidem Apollo potuit illud imperium praescire, sed Amphiaraum puto eum non intellecturum fuisse, quippe qui ut augur nisi exquirendo res futuras non provideret.

Ceterum Statium saepius cum tempora confudisse tum sibi ipsi contradixisse nonnullis exemplis demonstrabo. Hypsipyle narrat de Lemniadibus, omnibus in reditu virorum eundem furorem fuisse

V, 150: *plenis adfrangere parvos*
Uberibus.

Supra autem v. 112 dixerat, triennium iam abfuisse Lemniadum maritos. Unde igitur pueri lactentes? At illud ‚ne parvulis quidem parcere' proverbio fere increbuit nimiam crudelitatem significans. Purgatio Lactantii etiam trimos excusantis infantes lactere posse, nimis mihi videtur esse per vim facta.

Alatreus VII, 297 Lapithaone et Diroetide natus est, cum XI, 32 Eurymedon eius pater nominetur, qui VII, 262 a patre Alatrei erat distinctus.

Tydeus mortuus IX, 180 a Thebanis rapitur et illuditur, X, 377 autem ab Hopleo inter reliqua cadavera in campo iacens invenitur, et Thebani ipsi

XII, 41: *quaerunt, dispersus iaceat quo pulvere Tydeus.*

Argia XII, 241 facem gerens inducitur, cuius favillas v. 268 reficit. Aliam facem ad busta ferebat Antigone 349; utramque arsisse docet v. 365: *vultus*
Astrorum radiis et utraque a lampade vidit.

Tamen his omnibus neglectis

417: *ignem miserae post ultima quaerunt*
Oscula, sed gelidae circum exanimesque favillae
Putribus in foveis.

Quamquam supra 270 lampas tanta erat descripta, quantam Ceres gesserat filiae raptorem inquirens.

Niobae liberi VI, 118 duodecim numerantur, ut apud Homerum, contra III, 198 quattuordecim: nam bina per septem portas exierunt funera.

Satis omnia ea docent et Statium quandoque dormitasse, ergo immerito versus illos V, 751 sq. a Bentleio vocari ineptos.

Totius tractationis summam si subducimus, dubium non erit, quin quod in prooemio contendimus, verum sit atque rectum. Adde denique, quod permulta singula vocabula, quae pro terminis technicis erant, Romanum hominem aliter commovebant atque nos — velut legere III, 325 verbum nauticum est; inservare VI, 910 et VIII, 194 augurum; stare X, 751 militare; Juppiter omni arce i. e. ex Capitolio tonat III, 409; ulmos vitibus alligandi mos*) hodie quoque in Italia vulgatissimus VI, 99 et VIII, 545 sqq. ambitus I, 129 et ambire II, 405 cet. — iam utrumque carmen totum concedes tanquam procreatum ex ingenio Romano et ita fontem esse haud spernendum antiquitatum Romanarum.

*) Cf. Verg. Buc. II, 70 Georg. I, 2 Colum. XI, 2, 79.